




DE

INSCRIPTIONIBVS

QVAE AD

NVMERVM SATVRNIVM

REFERVNTVR.

SRIPSIT

GVIL. THEOD. STREVBER

BASILIENSIS.

TVRICI

SVMPTVS FECERVNT MEYER ET ZELLFR.

MDCCCXXXXV.

TYPIS EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FVRRERI.

VIRO ILLVSTRI

FRANC. DOR. GERLACHIO

OLIM GOTHANO NVNC CIVI BASILIENSI

POSTQVAM

PER QVINQVE LVSTRA MVNERE PROFESSORIS

IN VNIVERSITATE LITTERARIA ET IN PAEDAGOGIO BASILIENSI

EXIMIA CVM LAVDE FVNCTVS EST

SOLEMNIA DIEI QVO MVNVS INIIT

QVI DIES FVTVRVS EST A. D. VII. KAL. MAIAS MDCCCXXXXV

PIE GRATVLATVR

AVCTOR.

GVIL. THEOD. STREVBERI AD FRANC. DOR. GERLACHIVM

EPISTOLA FAMILIARIS.

Ecce adest quidam gratulabundus ante fores, libellum in manibus gestans. Pultat; introit. „Ecquis hic est?“ Quem bene nosti. Sic infit: Quod bonum felix faustumque sit, Gerlachi doctissime et amicissime! ex animi sententia tibi gratulor illum diem, quo ante hos viginti et quinque annos huc Basiliae migrasti, hunc larem familiarem amplexus es, munus honorifice ad te delatum, tanta laude usque huc gestum, feliciter suscepisti. Mirarisne, quod ego hanc gratulandi provinciam susceperim? Ipse prope miror; excusabo quoad potero. Nunquam enim obliviscar, quamvis gratissimam habeam memoriam clarissimorum Germaniae doctorum, qui adiecere paullo plus artis, a te mihi primo contigisse accuratius in antiquis litteris doceri, qui omnes circum doctores diligentissimus eras. Accedit quod in magno discipulorum grege ex exiguo eorum numero me esse intelligo, qui eandem ac tu studiorum rationem ingressi sunt. Sed probe iam scio, plus ponderis et momenti gratulationem habituram fuisse, si a viro auctoritate, dignitate, amplitudine pollente profecta esset, quam a me pedario, quem scilicet quinqueviris academiae et paedagogio curandis in partem curarum vocare usque huc non placuit. Qua de re si qua offensiuncula nuper facta est animi mei, durius quidem id accipere nolui, sed libenter me dedi ad lenitatem, in eam tamen spem sententiamque ingressus, fore ut studia mea viris amplissimis tandem probarentur. Nam vix in animum induco ut credam, eo perventum esse apud nos, ut crumenae, prosapia, operosa parentum cohors, suppalpandi denique artes maiora et potiora sint

ad munera capessenda adminicula, quam ipsa virtus. Sed ut ad rem redeam, ad celebrandum diem tibi omnibusque, qui olim tuis scholis interfuerunt, festum, pro virili parte quaedam tribuere malui, quam Harpocratem agere vel ad Kalendas Graecas antesignanum exspectare; nisi forte signum praetulit vir clarissimus, summe mihi colendus, qui nuper inter epulas vitae tuae scholasticae curriculum versibus haud inconditis lepidissime delineavit. Quamquam non eram nescius, cum haec litteris mandarem, fore ut hic noster labor non tam in hominum doctorum reprehensiones, quam in eorum rumores, qui ubique apud nos primas agere partes consueverunt incurreret. Verum satis videbor mihi fecisse, si tu aliique, quos veneror, viri docti me non Caeritibus tabulis dignum nec laureolam in mustaceo quaesivisse iudicaveritis.

Ad extremum nescio quo modo animo afficior, dum Deum optimum maximum pro felicitate tua, Gerlachi humanissime, in vota voco. Erit qui tibi post quinque lustra iterum circumacta, si vita suppeditat, munus per dimidiatum saeculum feliciter gestum gratulaturus sit. Sed, quippe mortales sumus, omnis huiusce rei ratio summo rerum et hominum rectori est committenda. Utinam te ille immortalis clementissimus cum domo tota in longum aevum conservet! Utinam in caput tuum larga clementiae divinae dona effundat, calamitates averruncet! Faxit te, quatenus mortalibus concessum est, ab omni parte beatum!

Scripsi Kal. Januar.

De versibus Saturniis quae fuerint nuper in medium prolatae sententiae, neminem fugit inter homines doctos. Scilicet duumviri clarissimi, doctores Bonnenses, ea quae grammatici veteres de hoc versu tradiderunt quaeque inde metricorum nostrae aetatis princeps, God. Hermannus, ad artem et praecepta revocavit, tollere atque evertere et novam quandam normam, ad quam veteres illi versus dirigerentur, praescribere conati sunt.[1]) Quod quamvis communi fere criticorum consensu parum feliciter factum sit, neque tamen omnia plane ex vano hausta videntur, neque in verba Hermanni nimis argute quaedam exponentis iurandum esse semper mihi visum est. Quare satis causae esse ratus rei recognoscendae et retractandae neque hos Soterici lectos aversatus, quae veteres, quae recentiores de illorum versuum ratione traderent, etiam atque etiam examinare, quo modo reliquiae, tenuissimae sane, cum praeceptis congruerent, videre, exinde mihi sumere, quid de versuum natura, ratione, usu, sano iudicio statui posset, institui. Cuius quidem operae fructus cum mox sim daturus in manus hominum doctorum, occasionem scribendi nactus quaedam ante illorum iudicio examinari volui eaque proposui, de quibus mihi haud recte iudicatum esse videbatur.

Saturnium veterem Romanorum versum appellatum esse, inter omnes constat. Neque magna quaestio est, quam diu in usu fuerit. Ex testimoniis enim eorum, qui et nominis et rei mentionem faciunt, colligi potest, quidquid veterum versuum Romanorum ante Ennii aetatem superfuerit, posthac hoc nomine appellatum esse. Nam id teneamus necesse est, Ennium illum veterem versum, quippe horridulum atque incomptum, inducendo heroicum sive, ut ipse dixit, longum, penitus fugasse atque abolevisse. Quod factum est eo tempore, quo annalium libros elaboravit, id est medio fere saeculo sexto urbis vel paullo postea. Neque vero nomina poetarum ignoramus, qui ex hoc genere magnam laudem adepti sunt. Etenim Cicero, quem tamen Saturniorum nomen latet, diserte Naevii bellum Punicum et Livii Odysseam Latinam laudat. Addit praeterea Varro, anti-

---

[1]) De versu, quem vocant, Saturnio. Scripserunt Henr. Düntzer et Laur. Lersch. Bonnae 1838.

quorum vatum effata, quibus, ut Fauni, cecinerint futura, huc pertinere. Denique Festus et a Naevio bellum Punicum his versibus scriptum et a multis aliis plura composita esse affirmat. Inter haec variae quoque inscriptiones a multis viris doctis relatae sunt, apud quos ita inveteravit haec sententia, ut vix tollenda videretur. Sed hoc disputationis nostrae propositum testo, ut videamus, quo iure id factum sit. — Ordiamur

I. De neniis et inscriptionibus sepulcralibus.

Acerbius vix quidquam accidere potest homini, cui vita summum est bonum, quam si haec vita, quae ei erat carissima, immiti morte dissolvitur. Cuius rei quo minus ratio intelligitur, eo vehementius doloris signa erumpunt. Alii igitur vestem et capillos scindere, in squalore et sorde iacere, maerore et lacrimis confici, alii maestas voces edere, querelis et ululatibus auras implere. Mox ubi, tempore interiecto, animus aliquantum acquievit ac temperatior factus est, etiam doloris sensus molliores redeunt, quaeque principio nihil nisi dissoni et feroces clamores postea in certe descriptos cantus immutantur. Hac igitur de causa Graeci aliique populi, Phoenices, Cyprii, Aegyptii, mutato nomine, Linum canere solebant. Phryges et Cares tibiae lugubris inventores et cultores perhibentur.[1]) Apud Romanos procul dubio eadem neniarum origo, quae in hominum indole ac natura posita est. De quibus, quia inscriptionum sepulcralium quasi fons esse videbantur, hoc loco pauca exponenda sunt.

Quod primum vocabuli etymon attinet, quod sit, parum liquet. Varia quidem et inter se diversissima Festus et Paulus Diaconus proponunt. „Sunt," inquit Paulus,[2]) „qui eo verbo finem significari putant. Quidam volunt naeniam ideo dici, quod voci similior querimonia flentium sit. Quidam aiunt ductum nomen ab extremi intestini vocabulo; Graeci enim *νέατον* extremum dicunt, sive quod chordarum ultima *νεάτη* dicitur, extremam cantionis vocem naeniam appellaverunt." Quibuscum ipsius Festi verba conspirant.[3]) Cicero,[4]) antiquitatis Romanae peritissimus, originem Graecam

---

[1]) Herod. 2, 79. Clem. Alex. strom. I. p. 306 Sylb.

[2]) Excerpt. ex Festo p. 105 Lindem.

[3]) P. 175.

[4]) De legg. 2, 24 §. 62. „Reliqua sunt in more — honoratorum virorum laudes in concione memorentur easque etiam cantus ad tibicinem prosequatur, cui nomen neniae: quo vocabulo etiam Graecis cantus lugubres nominantur."

vocabulo adscribere videtur, cum etiam Graecis cantus lugubres nenias nominari dicat. Hesychius *νηνυρίζειν* idem esse ac *θρηνεῖν*,[1]) Jul. Pollux *νηνίατον* Phrygium esse vocabulum scribit. Phryges enim esse tibiae lugubris inventores; ab his Cares eam accepisse, quorum mulieres demortuos ad sepulcra cantibus prosecutae sint. Num vocabulum igitur a querimonia quadam flentium *νηνί* ortum sit, quemadmodum elegi ab ἒ *λέγειν* dicti esse feruntur, non facile dixerim. Doctissimus Scaliger Phrygium quidem inventum, sed Hebraicae et Syriacae originis nenias esse voluit.[2]) Certum est, in cultu funebri Romanorum iam antiquissimis temporibus plura inesse, quae aliunde petita videantur; nam antiquis Romanis, ut ait Caesar apud Salustium, superbia non obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur. Subulones igitur, Etruscorum tibicines, saepius Romam acciti, e Phrygia magna mater a. u. 549 Romam asportata, praeterea mulierum mercede conductarum, quae flerent mortuosque collaudarent, usus fortasse ex oriente petitus est. Neniarum vocabulum antiquissimis Romanis ignotum erat; nam eiulationem lugubrem *lessum* et carmina mortualia *nugas* dicebant.[3])

Et haec quidem de nomine; de re nulla est dubitatio. Neniae erant cantus lugubres inter exsequias a mulieribus mercede conductis, quibus praeficis nomen,[4]) ad tibias cantitati.[5]) Quibus cantibus laudes mortuorum praeficae celebrasse traduntur, et, quod facile quis crediderit, non expolitis quidem iustisque versibus, sed, teste Nonio, inepto et incondito carmine. Gellius quoque nenias levissimi generis carmina fuisse auctor est, qui Domitium quendam grammaticum ita declamantem induxit: „vos philosophi mera estis, ut M. Cato ait, mortuaria glossaria; namque colligitis lexidia, res tetras et inanes et frivolas, tanquam mulierum voces praeficarum.“[6]) Quo

---

1) Hesych. *νηνυρίζοντα: θρηνοῦντα, λαλοῦντα.* Pollux lib. IV. segm. 79 ed. Wettstein 1706. *τὸ δὲ νηνίατον ἐστὶ μὲν Φρύγιον, Ἱππώναξ δ' αὐτοῦ μνημονεύει.* Vocabulum neniarum cum Graeco *νύξ, νυστάζω* cohaerere, quia cantilenae ad somnum capiendum dictae ita vocatae sint (quod *Hartung* statuit: Relig. der Römer II. 274), non est veri simile.

2) Ad Varr. de ling. lat. p. 226 sq. ed. Bip.

3) L. Aelius Stilo apud Cic. de legg. 2, 23; Plaut. asinar. 4. 1. 63.

4) Varro de ling. lat. VI. p. 94. Bip. et ib. Naevius; Lucilius fragm. XXII. 1; Nonius ed. Gerl. p. 47.

5) Cic. de legg. 2, 24 §. 62; Festus p. 175; Paul. Diac. exc. p. 105 ed. Lindem.; Nonius p. 99. ed. Gerl.

6) Noct. Att. 18. 7. 3.

factum est, ut unumquodque poematium, quod erat exiguum, tenue, vile, postea nenia diceretur.[1])

Si igitur neniae, quibus antiquitus apud Romanos mortuos prosequebantur, vilia quaedam carmina erant, a mulierculis vulgaribus dicta, iure aliquis illis inter carmina, quae dicuntur popularia et trivialia, locum assignaverit. Qualia autem fuerint, hodie vix accuratius dici potest, nullo eius generis exemplo exstante. Nec eo secius de illis cogitationem sibi informavit vir ingeniosissimus Niebuhrius, qui, dum nenias cum carminibus olim in epulis de clarorum virorum laudibus cantitatis componit, eo usque procedit coniecturae, ut haec ipsa carmina de clarorum virorum laudibus atque virtutibus multis saeculis ante Catonis aetatem cantitata ex neniis primum profecta esse dicat. Neque ita illa carmina convivalia, quorum interitum Cicero conquestus sit, prorsus interiisse addit; in sepulcris enim Scipionum versus exstare, qui aperte nenias referant.[2])

Cumulatae hae inter se coniecturae, si quaeris quo fundamento nitantur, facile memineris, eas cum illa notissima Niebuhrii sententia cohaerere, ex qua totam antiquiorem Romanorum historiam e carminibus epicis contextam esse voluit. Cui quidem sententiae, omnibus fere argumentis historicis destitutae, quamvis acriter inhaerens, nemini tamen hominum doctorum, quod sciam, penitus persuasit. Cuius de infirmitate quia multi dixere,

---

1) Plaut. Bacch. 4. 8. 46 soricina nenia; Horat. epist. I. 1. 63 puerorum nenia (unde Hesych. νηνίατος: παιδαριώδης νόμος); Arnob. 7, 32 nutricum lenes neniae; Hor. epod. 17, 29 et Ovid. art. am. 2, 102 Marsa nenia. Phaedr. 3. 1. 10 de fabulis: viles neniae.

2) *Niebuhr* röm. Gesch. 4te Aufl. I. 270 sqq.: »Und so möchten wir, ohne es zu beachten, im Besitz solcher Lieder sein, die Cicero für ganz verloren achtete: denn es wird doch wohl kaum ein Zweifel gegen den Gedanken erhoben werden können, dass die in Versen gefassten Inschriften auf den ältesten Särgen in der Gruft der Scipionen nichts anders sind, als, sei es die ganze Nenie, oder der Anfang derselben. In diesen Gedenkschriften zeigt sich eine Eigenthümlichkeit jeder Volkspoesie, die vor allen in der neu-griechischen auffallend stark hervortritt. Ganze Verse und Gedanken werden Elemente der dichterischen Sprache wie einzelne Worte; sie gehen aus allgemein verbreiteten ältern Stücken hinüber in neu entstehende, geben ihnen, wenn auch der Sänger einem grossen Stoff nicht genügt, dichterische Farbe und Haltung.« Eodem fere modo *Hartung* Relig. der Römer I. 289: »Wenn es auch immerhin gewiss ist, dass die Nänien in vielen Fällen, zumal der spätern Zeit, leeres Klagegeschrei und übertriebene Lobrednerei enthalten haben, so lehrt doch schon die Vernunft, dass die Loblieder solcher Männer, von denen wircklich Rühmliches zu vermelden war, auch der Würde ihres Lebens angemessen gewesen seien; und dann können sie sich auch wohl im Gedächtnisse des Volks erhalten haben. Und hiebei war man gewissermassen gezwungen der Vorfahren zu gedenken, deren Tugenden immer der Masstab und das Vorblid für die Spätern blieben.«

praetereundum puto, sed ad id animum adverti velim, cum illa celebratissima coniectura etiam haec singula, carmina convivalia e neniis profecta, neniarum vero reliquias in sepulcris Scipionum exstare videri, quasi latiore fundamento sublato, corruere atque collabi. Illa igitur abnuens, haec autem defendens nonne similis est ei, qui, radicum fibris evulsis, ramos amputare recuset? Ceterum haud scio an Niebuhrius, ut carminibus convivalibus, sic neniis, vim iusto maiorem tribuerit. Si enim verum est, quod ex locis supra allatis patet, nenias a mulierculis mercenariis laudandi gratia cantitatas carmina incondita, incomposita et meras nugas fuisse, quo modo monumentis maximorum virorum inscribi potuerunt? — At, priusquam lapidi inciderentur, a viris doctis excultae atque expolitae sunt. — Sed tum neniae esse desierunt. — Accedit quod in Scipionum sepulcris, in quibus sane nulla vilissimorum illorum carminum vestigia deprehenderis, nec Cicero, nec Livius, nec alius quisquam scriptor, qui monumentorum Scipionum mentionem facit, tale quid factum esse innuit. Et non solum de huius familiae clarissimis monumentis hac de re altum scriptorum silentium est, sed etiam nusquam alias apud Romanos unquam nenias monumentis inscribere in more fuisse memoriae proditur. Quotquot lapidum ab antiquissimis inde temporibus usque ad saecula Christiana e terra effossum est, varia quidem pietatis et amoris signa et dicta, multa insuper versibus dactylicis, elegiacis, trochaicis, iambicis conscripta emerserunt,[1] sed nulla, quae ad veteres nenias pertineant vel illas unquam inscriptionum loco fuisse confirment.[2]

Sed de neniis hactenus; iam tempus est, ad id quod instituimus, pergere.

Nihil igitur ex hac speciosa Niebuhrii sententia certi enavigat, nisi hoc, fieri potuisse, ut elogia monumentorum Scipionum rhythmo quodam sive versibus conscripta essent. Quod num vere factum sit, primum nunc

---

[1]) Cf. sepulcralia apud *Orell.* inscript. II. Nro. 4827 sqq.; *Meyer* anthol. Nro. 1144 sqq.

[2]) Virum doctissimum in hac re adsentientem habeo non quemque, sed eum, quem equidem plurimi facio, *Zellium*, qui in libro: Ferienschriften II. p. 187 in hunc modum disseruit: „Keine Nachrichten deuten darauf hin, dass eine solche Anwendung der Nenien bei Abfassung der Grabschriften stattgefunden habe. Der Umstand aber, dass die Grabschriften der Scipionen in Versen abgefasst sind, entscheidet hier nichts; denn abgesehen davon, dass überhaupt die metrische Form in so vielen Fällen von dem Alterthum für Inschriften gewählt wurde, so waren Grabschriften in Versen bei den Römern im allgemeinen Gebrauch, wie so viele Denkmäler, wenn auch freilich nicht aus so früher Zeit, beweisen.

accuratius videndum est, deinde examinandum, num versus illi Saturniorum indolem prae se ferant? Utrumque iterum Niebuhrius statuit atque auctoritate sua longum clarissimorum virorum agmen secum traxit.[1]) Sed antequam hac ipsa de re dicamus, paucis exponendum videtur, quid vir doctissimus de versuum Saturniorum conformatione statuerit.

Virorum doctorum, quorum hac in re Niebuhrius quasi antesignanus est, paucissimi quique fortasse intellexerunt, et quae vera fuerit illius sententia, et quot per discrimina ducem incertum rerum suarum secuti sint. Scilicet dum Niebuhrius Scipionum monumenta versibus Saturniis conscripta esse pronuntiat, plerique de illis Saturniis cogitarunt, quos Terentianus Maurus, auctor valde bonus, clauda parte dimetri iambici, iunctis tribus trochaeis, constare dixit, quorum exemplum hoc est:

⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ | –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑

Neque dubium esse potest, quin etiam in hunc modum Saturnios comparatos esse voluerit. Qua tamen in re id mirabile visum est, quod vir doctissimus versiculos inscriptionis Barbati non nisi quattuor accentuum signis insignivit. Restabat igitur obscurum quoddam, quod nuperrime demum enodatum est. Apparuit enim, Niebuhrium sibi non constitisse, sed mirum in modum sententiam variasse atque mutasse,[2]) denique singularem omnino et a ceterorum grammaticorum doctrina prorsus abhorrentem de versu Saturnio cogitationem animo concepisse. Accedit quod non minus admirabile Düntzerus nuper e fama haud spernenda tradidit, Niebuhrium olim auditoribus suis in scholis exposuisse, Saturnium versum quattuor constare Bacchiis sive esse tetrametrum Bacchiacum, ita tamen, ut in Bacchii locum etiam Spondeus succedere posset.[3]) Cuius exemplum

⏑ –́ –́ | ⏑ –́ –́ | ⏑ –́ –́ | ⏑ –́ –́

si ad versus quosdam, quales elogiis Scipionum assignavit, applicueris, re

---

[1]) *Niebuhr* l. c.; *Grotefend* latein. Gramm. II. §. 257 sqq.; *C. O. Müller* hall. Litteratur-Zeitung 1829 Nro. 128; *Fiedler* Gesch. des röm. Staates und Volkes, Beilage Nro. IV. p. 351; *Orelli* inscr. Nro. 455 sqq.; *H. Meyer* anthol. Nro. 1 sqq. praef. p. VII. annot.; *Zell* Ferienschriften II. p. 188; *Bähr* röm. Litteraturgesch. §. 22; *Bernhardy* Grundriss der röm. Litt. p. 78; *Düntzer* de versu Sat. p. 65. Eiusdem sententiae erat *Fried. Lachmannus*, qui de fontibus Livii scripsit, adnotante C. O. Müllero l c.

[2]) Cf. hist. Rom. edit. I. Vol. I. pp. 179, 318; edit. IV. Vol. I. p. 273, not. 687.

[3]) Quidquid superaddit Düntzerus (de versu sat. p. 76) quippe de Niebuhrii sensu vel de suo, nequaquam mihi pari fide dignum videtur. Vir quidam doctissimus, qui olim Niebuhrii scholis interfuerat eiusque praelectiones diligentissime perscripserat, interroganti mihi in schedis suis nihil de huiuscemodi Saturniorum explicatione scriptum exstare respondit.

vera optime quadrare intelliges. Sed etiam in hac sententia non stetit vir doctissimus. Quartum enim historia Romana edita, brevi se caput quoddam grammatici, quo omnia apertissime sua ex animi sententia diiudicarentur, publici iuris facturum esse pollicitus est. Quod caput cum Marii Victorini esse putarent, magnopere erraruut Lerschius et Düntzerus; esse enim Flavii Sosipatri Charisii, et ipse Niebuhrius haud obscure indicavit,[1]) et post eius mortem vir clarissimus Schneidewinus, edito nuper commentariolo e codice Neapolitano et e C. O. Mülleri apographo,[2]) omnem dubitationem sustulit. Sed quales, Dii boni! Charisius fingit versus! Scilicet „quinum denum et senum denum pedum, novum genus pedum idque ametron," ita ut facere non possim, quin cum Schneidewino Niebuhrium hoc testimonio grammatici abusum esse statuam. Sed hac de re alio loco fusius disputabimus; nunc Niebuhrii sententiam de versu Saturnio indicasse satis habemus.

1. Elogium L. Cornelii Scipionis Barbati.

Monumentum Scipionum, quod satis notum est, a. 1780 Romae extra portam Capenam haud procul a via Appia, ubi etiam Calatini, Serviliorum, Metellorum sepulcra erant,[3]) detectum est, inscriptiones vero desecatae et in museum Vaticanum transportatae sunt. Quarum prima et antiquissima L. Cornelii Scipionis Barbati (consulis a. u. 455 Cap., demortui circa a. 470) sic se habet:[4])

CORNELIVS LVCIVS SCIPIO. BARBATVS. GNAIVOD PATRE
PROGNATVS. FORTIS VIR SAPIENSQUE. QVOIVS FORMA VIRTVTEI PARISVMA
FVIT. CONSOL CENSOR AIDILIS. QVEI FVIT APVD VOS. TAVRASIA. CISAVNA.
SAMNIO CEPIT. SVBIGIT OMNE LOVCANA. OPSIDESQVE ABDOVCIT.

Quae inscriptio a Niebuhrio, mutata antiqua et rudi scriptura,[5]) in hos versus redacta est:

---

[1]) In epistola ad Henslera, Briefwechsel Vol. II. p. 510.

[2]) Gotting. 1841.

[3]) Cic. Tusc. 1, 7 §. 13; Liv. 38, 56. Opus praestantissimum de Scipionum monumento est: *Visconti* Monumento degli Scipioni. Roma 1785. Cf. etiam *Becker* röm. Alterth. Vol. I. 518 et Italorum *Piranesi*, *Lanzi*, *Morcelli* opera.

[4]) In collectiana Orelliana Nro. 550.

[5]) „Ich habe die rohe Schreibung gemildert und sogar die Bezeichnung aufgeopfert, dass das endende *m* in Taurasiam, Cesaunam, Aleriam, optumum, omnem und prognatum nicht ausgesprochen ward." Patre im zweiten Verse sei ein ungebührendes Einschiebsel, das kurze i in Scipio, consentiunt, fuit, fuisse, licuisset unterdrückt, so dass z. B. Scipio zweisylbig sei.

Cornéliu' Lúciu' Scípio Barbátus
Gnaívo (patre) prognátu, fortis vír sapiénsque,
Quoiu' fórma vírtuti paríssuma fuít,
Consúl, Censor, Aédilis, qúi fuit apúd vos,
Taurásiam, Cesaúnam, Sámnio cépit,
Subícit ómnem Lucánaam,
Obsidesque abdúcit.

Singuli versus in arca a Niebuhrio lineolis disiuncti dicuntur; est vero qui fabros in versiculis segregandis parum diligentes fuisse queratur.[1]) Certe Niebuhrii versus nequaquam cum στίχοις apud Orellium congruunt. Utri maior fides est habenda? Mihi quidem, ut ingenue fatear, Niebuhrius e suo ingenio et arbitratu mutasse videtur, ut tetrametros inde efficeret Bacchiacos excurrentes in nescio quos decurtatos versiculos. Sed, pace tanti viri dixerim, licet metri Bacchiaci usus poetis Romanis valde placuerit neque a lingua Latina, sicut a Graeca, abhorruerit, nunquam tamen largiendum est, tantae artis metrum iam apud veteres illos Romanos simplices et rudes in usu fuisse, qui sero et repugnantes poeticam receperunt. Ut omnia politiora metra, ita hoc quoque a Graecis acceperunt, a quibus primus Q. Ennius hoc genus repetiit, cuius etiam nobile versiculorum par exstat ex Hectoris lytra sive lystra.[2]) Etiamsi igitur metrum Bacchiacum optime cum elogio Barbati quadraret, quod in incerto relinquimus, nemo tamen eius generis tetrametros Saturnios iure dicere posset, nec unquam dixit.

At, si non ex Niebuhrii sententia Saturnii exeunt, fortasse e vulgari grammaticorum et Hermanni ratione? — Experiatur aliquis, videat quanto eventu. Equidem unum tantummodo versum illi σχήματι sine vi aptari posse crediderim, qui est infra adscriptus:

Consul, censor, aedilis, qui fuit apud vos.

Idem in Asinae titulo repetitur. Ceteros si quis ad metrum quoddam iambicum trochaicumve revocare velit, equidem non repugnem, sed huiuscemodi lusus ut pro vero ponam, ab eo plurimum absum. Hoc igitur Bar-

[1]) Fiedler l. c. Cf. etiam *Egger* latini sermonis vetustioris reliquiae selectae (Paris 1843) p. 100. not. 5.

[2]) Apud Nonium s. v. tumulti et strepiti p. 333 Gerl. ab Hermanno ita scriptum:
Quid hóc hic clamóris? Quid hóc hic tumúlti est?
Nomén qui usurpát meum? Quid ín castris strépiti est?
Exordio similis est senarius apud Plautum trinumm. 4. 5. 1:
Quid hoc hic clamoris audio ante aedis meas?

bati elogium rhythmo quodam cadere non abnuerim, sed in eo versus Saturnios inesse proprie dictos, quales Livius et Naevius composuerint, nulla commoveor ratione ut credam.

2. Elogium Cn. Cornelii Scipionis Asinae.

Sequitur Cn. Cornelii Scipionis Asinae, Barbati filii, (cons. a. u. 493 Cap., defuncti circa a. 500) titulus, apud Orellium[1]) in hunc modum scriptus:

HONC. OINO. PLOIRVME. CONSENSIONT. R . . .
DVONORO. OPTVMO. FVISE. VIRO
LVCIOM. SCIPIONE. FILIOS BARBATI
CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FVET. A . .
HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE VRBE
DEDET. TEMPESTATIBVS. AIDE. MERETO.

Hanc inscriptionem Niebuhrius accuratius Orellio conveniens in hosce versus redegit:

Hunc únum plúrimi conséntiunt R (ománi)
Duonórum optumum fúisse virúm
Lúcium Scipiónem, fílium Barbáti,
Consúl, Censor, Aédilis, híc fuit apúd vos.
Hic cépit Córsicam | Alériamque úrbem,
Dédit tempestátibus aédem mérito.

Qua quidem ex re colligendum videtur, Niebuhrium ad hosce versus non metrum Bacchiacum adhibuisse, sed magis ad vulgarem rationem accessisse.

Maxime autem memorabile est, quod Cicero[2]) simile quoddam exordium monumenti A. Atilii Calatini, consulis a. u. 495 et 499 Cap., dictatoris a. 504, laudat, quod, depravatis codicibus,[3]) e Scipionis titulo in hunc modum restitutum est: „Unum hunc plurimae consentiunt gentes, populi primarium fuisse virum.“ Quibus verbis mox addit: *notum est carmen incisum in sepulcro.*“ Elogium igitur Cicero carmen appellavit. Qua tamen re non velim credas, eum eiusdem generis hoc carmen ac veteres illos

---

1) Nro. 552. *Egger* l. c. p. 104 et quos laudat not. 1.

2) De finib. 2, 35 §. 116; Cato 17 §. 61.

3) In codice Basiliensi membran. saec. XIV. (F. III. 35), non malo, distincte scripto, locus sic se habet: »quanta in Attilio Catilio (,) in quem illud eulogium unicum (:) plurimae consentiunt gentes et populi primarium fuisse virum (.) notum est carmen esse incisum in sepulcro.«

versus habuisse, quos olim Fauni vatesque canebant quosque M. Terentius Varro Saturnios appellari dixit, qua ab re Cicero hercle longissime aberat. Meminisse satis est, Romanos, quidquid erat formularum solemnibus verbis conceptum, hoc vocabulo complexos esse. Quid? Quod apud Virgilium non solum inscriptio quaedam postibus affixa, sed tumulo superaddita carmen vocatur?[1]) Quid? Quod ipso loco laudato Cicero Atilii inscriptionem modo carmen, modo elogium appellat? Hoc vero libenter concesserim, siquidem in ulla Scipionum inscriptione Saturnii insunt vel versuum veterum quoddam genus proxime ad illos accedens, in hac Asinae inesse. Non refractariolos enim hos versus inveneris:

Hunc únum plúrimí con | séntiúnt Románi.
Consúl, censór, aedílis | híc fuít apúd vos.
Hic cépit Córsicám A | lériámque úrbem.

Quid enim mirum, si versificatores isti ex libidine hiatu utebantur, syllabas in arsi producebant, breves pro longis usurpabant, longas in breves solvebant, et alia huiuscemodi, cum antiquioribus poetis Romanis omnem prosodiae et artis metricae licentiam dandam esse omnes uno ore consentiant?

3) Elogia filiorum Cn. Cornelii Scipionis Hispalli.

Tertio loco sunt elogia filiorum Cn. Cornelii Scipionis Hispalli,[2]) defuncti a. u. 577 Cap., quo consul erat. Quorum prius sic se habet:

CN. CORNELIVS CN. F. SCIPIO. HISPANVS
PR. AID. CUR. Q. TR. MIL. II. XVIR. SL. IVDIK
X. VIR. SAC. FAC.
VIRTVTES GENERIS MIEIS MORIBVS ACCVMVLAVI
PROGENIEM GENVI. FACTA PATRIS PETIEI.
MAIORVM OPTENVI LAVDEM. VT SIBEI ME ESSE CREATVM
LAETENTVR. STIRPEM NOBILITAVIT HONOR.

Nemo non videt hunc titulum sepulcralem duobus distichis elegiacis contineri, ut hac de re ne verbum quidem addere necesse habeam. Neque vero est, quod sciam, qui ad numerum Saturnium retulerit. Sed haec inscriptio documento esse potest, eo fere tempore, quo Ennius annales ad umbilicum adduxerit, usum metrorum a Graecis repetitorum adeo iam Romae invaluisse, ut haec peregrina magis placerent quam vernacula.

---

[1]) Virg. Aen. 3, 287 sqq.; eclog. 5, 42.
[2]) Apud Orellium Nro. 554, 555. Egger p. 134.

Inscriptio altera, quae est in hunc modum comparata:

L. CORNELIVS CN. F. CN. N. SCIPIO. MAGNA. SAPIENTIA.
MVLTASQVE. VIRTVTES. AETATE QVOM PARVA
POSIDET HOC SAXSVM. QVOIEI VITA DEFECIT. NON
HONOS. HONORE IS. HIC. SITVS. QVEI. NVNQVAM.
VICTVS EST VIRTVTEI. ANNOS GNATVS XX. IS
L . . . . . MANDATVS. NE. QVAIRATIS HONORE
QVEI MINVS SIT M . . . .

non a *Niebuhrio* quidem, sed ab aliis viris doctis, *Grotefendo*, *Orellio*, *Henr. Meyero*, *Düntzero* ad numerum Saturnium relata est. Quod num recte fieri possit, magnopere dubito. Nec vero, re satis consulta et explorata, viros doctissimos in hanc sententiam ivisse, sed magis analogiae causa, ut etiam ex hac inscriptione, quales ex ceteris, versus Saturnii enascerentur, fecisse crediderim. Sed ut nihil dicam de inscriptionis statu, quo ad nos pervenit, lacero, ut taceam de iis, quae modo attigi, vix fieri potuisse, ut saeculo sexto urbis exeunte titulus sepulcralis versibus Saturniis conficeretur, id solum monendum censeo, quam lubrico atque instabili fundamento nitantur coniecturae, quibus omnia Scipionum elogia versibus Saturniis scripta esse perhibentur.

4. Elogium P. Cornelii Scipionis, filii Africani.

Restat denique e Scipionum monumento inscriptio P. Cornelii Scipionis, filii Africani maioris, auguris a. u. 573 Cap., qui a. 602 filium L. Aemilii Paulli, minorem Scipionem, adoptavit.[1])

QVEI APICEM INSIGNE. DIALIS. FLAMINIS. GESSISTEI.
MORS PERFECIT TVA. VT. ESSENT. OMNIA
BREVIA. HONOS. FAMA. VIRTVSQVE
GLORIA. ATQVE INGENIVM. QVIBVS SEI
IN LONGA LICVISSET TIBE VTIER VITA
FACILE FACTEIS SVPERASES. GLORIAM
MAIORVM. QVARE. LVBENS TE IN GREMIV
SCIPIO. RECIPIT. TERRA PVBLI.
PRONATVM PVBLIO CORNELI.

In qua ad numerum Saturnium conformanda maxime doleo, quod, mea quidem sententia, duumviri clarissimi operam et oleum perdiderint. *Nie-*

---

[1]) Apud Orellium Nro. 558. Egger p. 156.

buhrius enim hosce versus longiores et breviores nescio quos, admissis fortasse Bachiis, inde eruit:

Qui ápicem | insígne Diális fláminis gessísti
Mors pérfecít tua | ut éssent ómnia
Brévia, honos, fama, virtúsque,
Glória, atque íngeniúm, quibus
Si in lónga licuísset tibi útier víta
Fácile factís superásses glóriam maiórum.
Quare lúbens te ín gremiúm Scipio récipit térra,
Publí, prognátum Publió Cornélio.

C. O. Müllerus autem,[1]) qui, ut ipsius verbis utar, admodum iuvenis Niebuhrii praeceptoris decreta in succum ac sanguinem receperat, paullo accuratius ad vulgarem rationem accedens inscriptionem ita scribendam esse censuit:

Qui ápicem insigne Diális flaminis gessísti,
Mors pérfecit tua ut éssent ómnia brévia
Honós, fama, virtúsque glória atque ingénium
Quibús si in longa lícuis | sét tibi utier víta
Facíle factis superásses glóriam maiórum.
Quaré lubens te in grémium Scípio recipit térra
Publí prognátum Públio Cornélio.

Qua quidem in re hercle mirandum non esset, si viri adeo in litteris et arte versati etiam meliores versus fecissent. Mihi vero longe videtur secus. In hac enim inscriptione versus Saturnios inesse, persuadere mihi non possum. Nullo testimonio id confirmatur, nullo lapidis signo indicatur.[2]) Quid? Si ultra progrediar atque, temporis et familiae ratione habita, non solum inesse, verum etiam inesse posse negaverim? Consideretur, quaeso, quo tempore elogium scriptum sit. Filius enim Africani, qui per totam vitam infirma valetudine utebatur, a. 602 unum ex quattuor Paulli filiis, cui Publio nomen, tricenarium fere adoptavit. Paullo post mortuus est, quo quidem anno, ignoratur, sed certe eo tempore, quo Saturniorum usus Romae abolitus erat. Quis porro crediderit, poetam Saturniis versibus eum honestaturum fuisse, cuius patri a. 569 demortuo En-

---

[1]) Hallische allgemeine Litteratur-Zeitung 1829. Nro. 127 p. 374.

[2]) C. O. Müller l. c.: „Rec. bemerkt, dass die Zeilen dieser Inschrift nicht, wie bei den andern, Versabtheilungen vorstellen.“

nius familiarissime dilectus iam hoc elogium *disticho elegiaco* conceptum confecerat?[1])

Hic est ille situs, cui nemo civi' nec hostis
Quibit pro factis reddere oprae pretium.

Num est veri simile, eum, 'qui historiam Graecam dulcissime scripserat,[2]) versibus Saturniis magnopere delectari potuisse, eiusque rei non rationem habuisse qui monumentum fecerunt? Quid? Qui et doctus et eloquens, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuisse, qui Terentio, elegantissimo poetae, versiculos suggessisse traditur, is patris adoptivi sepulcro veteres ac rudes illos maiorum versus inscribi probasset? Minime. Abeat igitur numerus Saturnius ex hac inscriptione sepulcrali, ceterum praeclara, maestitiae plena; restet oratio pedestris, sed ornata, elata, verbis nobilibus, ordine vocabulorum non vulgari proxime ad dictionem poeticam accedens, ut honorificentissime Scipionem oratione funebri laudatum esse recte inde coniicias.

5. Epigramma Cn. Naevii.

Accedunt ad Scipionum inscriptiones sepulcrales duorum poetarum illustrium epigrammata, Cn. Naevii et M. Plauti, quae, teste Gellio,[3]) ipsi fecerunt et incidenda suo sepulcro reliquerunt.

De Cn. Naevii vita et scriptis disseruerunt nuper duumviri doctissimi, *Schüttius* et *Klussmannus.*[4]) Quamquam adeo pauca de eius vita tradita sunt, ut paene non vita nominanda sit, quod ex singulis quibusdam veterum scriptorum, imprimis Gellii, locis aegre contexitur, recteque mirere, quod, adhibitis deverticulis et ambagibus, e re tam tenui tanta copia verborum exuberaverit. De anno, quo Naevius mortem oppetierit, lis est inter hos Naevianorum scriptorum explicatores atque adeo inter Ciceronem et Varronem, quem utrumque diligentissimum investigatorem antiquitatis dicere licet. Sed

---

[1]) Quod felicissime conficitur ex Cic. de legg. 2, 22 §. 57 et Senec. epist. 108. Inscriptum erat vel in sepulcro Literni, ubi conditum esse videtur Africani corpus (cf. Liv. 38, 53. 56; Strabo 5. p. 243 Casaub.; Senec. epist. 86.), vel in monumento familiae Romae ante portam Capenam.

[2]) Cic. Brut. 19 §. 77.

[3]) N. A. 1, 24.

[4]) De Cnaeo Naevio poeta scripsit *A. Schütte.* Part. I. Herbipoli 1841. Cn. Naevii poetae Romani vitam descripsit, carminum reliquias collegit, poesis rationem exposuit *Ernestus Klussmann.* Ienae 1843.

Ciceronem, qui ex veteribus commentariis M. Cornelio Cethego et P. Tuditano Coss. (id est a. 549 Cap.) Naevium mortuum esse confirmat, sequendum esse censuit diligentissimus curriculorum veterum poetarum ratiocinator, *Ritschelius*.[1]) Epigramma, quod iam supra dixi, a Gellio laudatur[2]) et in codicibus veteribusque editionibus[3]) ita scriptum invenitur:

Immortales mortales si foret fas flere
Flerent divae camoenae Naevium poetam
Itaque postquam est Orchio traditus thesauro
Obliti sunt Romae lingua latina loquier.

Quaedam metri causa a viris doctis mutata sunt; ita primus versiculus ab Hermanno[4]) in hunc modum:

Mortalis immortalis flere si foret fas,

ultimus ab Osanno[5]) ita:

Obliti sunt latina Romae loquier lingua.

Hos versus Saturnios esse nemo unquam negavit neque negandi locus est. Cui enim ille numerus melius conveniat, quam Naevio, qui celeberrimum carmen de primo bello Punico his ipsis versibus composuerat? Verum versus etiam ita comparati sunt, ut grammaticorum et Hermanni praecepta optime in eos quadrent.

Altiores spiritus sumsisse poetam libertatis amantissimum sibique plurimum tribuisse, verba epigrammatis satis declarant, quamobrem a Gellio plenum superbiae Campanae appellatur. Neque vero recte inde efficitur, Campaniam Naevii patriam fuisse; nam satis constat, hoc dictum in proverbium abiisse, sicut alia quaedam, quae a moribus aliorum populorum repetebantur[6]).

6. Epigramma M. Accii Plauti.

Excipit apud Gellium Naevii epigramma elogium M. Accii Plauti ex Var-

---

1) Sacram memoriam regis serenissimi Fried. Guil. III. pie celebrandam indicit *Fr. Ritschelius* etc. Praemissa est de aetate Plauti commentatio. Bonnae 1841.

2) 1, 24. Ceterum a Caelio Rhodigino antiq. lection. 10, 18 ex Apuleio de orthographia. Cf. Madvig. opusc. p. 14.

3) Editiones quas contuli hae sunt: Roman. 1472, Venet. 1496, Paris. 1511, Basil. 1519, Colon. 1526, Lugdun. 1561. Discrepat tantum Paris., quae v. 4 sic: „latina loquier lingua." Praeterea vulgata adiuvatur optimo cod. Paris., adnotante Dübnero in diario: Zeitschrift für Alterthumswissenschaft 1837 p. 10.

4) Elem. doctr. metr. p. 638.

5) Anal. crit. p. 37.

6) Cf. *Zell* Ferienschriften II pp. 38, 44. Livius 9, 6 superbiam ingenitam Campanis dicit. Unde orta est? Num ex agri fertilitate et ubertate? *Κόρος τίκτει ὕβριν.*

ronis de poetis libro primo transscriptum. Plauti aetas a Ritschelio sic definitur, ut ineunte saeculo sexto urbis natus tricenarius primas fabulas docuerit, paucis vero annis post Pseudolum absolutum a. u. 569 Cap. mortuus sit. Quae res confirmatur Ciceronis loco,[1] ut recte circa hoc tempus epigramma compositum putemus, quod in veteribus editionibus[2] sic scriptum inveni:

Postquam est morte captus Plautus
Comoedia luget scena est deserta
Deinde risus ludus iocusque et numeri
Innumeri simul omnes collachrymarunt.[3]

De versuum genere equidem nullus dubito, quin versus heroici sint neque magnopere vereor, ne multi obloquantur.[4] Quod opponit Düntzerus solos hexametros tali modo minime positos esse in inscriptionibus, miror, quod hominem doctissimum exempla fugere potuerint, quae sunt apud Orellium et Meyerum.[5] Quid? Quod, ne ineptiarum quid deesset, plures deinceps pentametri elegiaci eodem modo positi sunt?[6] Sed quo iure Plauto, metrorum Graecorum cultori, versus Saturnii (nam ex his Düntzerus epigramma constare voluit) tribuantur? Num probabile est, illum versuum genus quod per totam vitam spreverat, ad elogium sibi ipsi faciendum reservasse? Nam quod nuper vir quidam doctus sibi invenisse visus est, satis magnum in Plautinis fabulis inesse Saturniorum numerum, velut aegri somnia vana sunt commenta, nemini Plautinae artis perito probata.

Restat, ut de epigrammatis ingenio verbum addam. »Quod dubitassemus,« Gellius inquit, »an Plauti foret, nisi a M. Varrone positum esset in libro de poetis primo.« Dubitationis suspicio satis est excusata. Con-

---

1) Brut. 15. §. 60.

2) Editiones Gellii intellige, quas supra memoravi.

3) Varietatem lectionis hanc animadverti: v. 1. *Henr. Meyerus* anthol. Nro. 23 e MS. Reg. Rotterod. Gron. B. *mortem aptus*, e MS. Ursini *mortem adeptus*. Lectio vulgata est *morte datus*, ut morte sit dandi casus antiquus pro morti. V. 2. apud Orell. eclog. p. 258 sic se habet: *scenā desertā: dein etc.* In edit. Basil. 1519 *et deserta* (errore typograph.). V. 3 in edit. Lugd. 1561 sic legitur: *dein risus ludusque iocusque et numeri.* Cuius editionis, quae in bibliotheca Bernensi asservatur, margini adscripsit doctissimus *P. Daniel* manu propria hanc adnotatiunculam: „Innumeri substantivum, quod numero non constant, nec versu."

4) Primus, quod sciam, doctissimus *Franc. Daniel* ita statuit, qui in editione Gellii Paris. 1511 Bernae asservata hoc adnotavit: »versus hic heroicus est,« versusque in hexametros dividi iussit.

5) Orelli inscr. Nro. 4827 sqq. H. Meyer anthol. Nro. 1148. 1162. 1164. 1171 etc.

6) Hermann. elem. doctr. metr. lib. II. cap. XXVII. Nro. 9.

stat enim, iam apud antiquos multa dubiae fidei circumlata et ideo a grammaticis indices factos esse fabularum, quae Plauti esse censebantur, quae aliorum. Varroniana autem norma, ex qua aliquid Plauto vindicaret vel abiudicaret, erat in diiudicando stilo atque facetia sermonis Plauto congruentis posita.[1] Neque epigramma stilum Plautinum redolere prorsus negaverim.[2]

II. De tabulis sacris aliisque inscriptionibus in honorem clarorum virorum factis.

Accedimus ad aliud genus inscriptionum, non eo consilio confectum, ut hominum demortuorum memoria ad posteros propagaretur, sed ut et Diis haberetur honos et praeclara virorum fortium facta in maiore gloria laudeque collocarentur. Itaque imperatores bello laborantes Diis, si victoriam darent, templa vovere, deinde, si bene everterat, dicare, praeterea tabulas addere, in quibus res a se gestae aut coloribus depictae aut litteris perscriptae essent. Aliis ob virtutem senatus statuas et columnas decernere cum indice nominis et rerum gestarum. Harum igitur inscriptionum haud exiguum numerum viri docti ad versus Saturnios retulerunt; de quibus nunc accuratius videndum est. Initium faciat T. Quinctius, homo priscus, austero more et modo, ab aratro ad summum magistratum quondam abductus.

7. Tabula T. Quinctii Cincinnati (a. u. 373).

Bello Praenestino T. Quinctius Cincinnatus dictator creatus Latinum hostem ad Alliam fudit, et novem oppidis, quae erant sub ditione Praenestinorum, haud magno certamine expugnatis, etiam caput belli per deditionem recepit. Inde victor, ut Livii verbis utar,[3] „Romam revertit: triumphansque signum, Praeneste devectum, Iovis Imperatoris in Capitolium tulit. Dedicatum est inter cellam Iovis et Minervae, tabulaque sub eo fixa, mo-

---

[1]) Gell. 3, 3. Eadem norma videtur fuisse Servii Clodii, aequalis Ciceronis. Cf. Cic. ad fam. 9, 16 §. 4: »quod tritas aures haberet notandis generibus poetarum et consuetudine legendi.« Suet. de ill. gramm. 2. 3. Varro de ling. lat. p. 355 ed. Bip.

[2]) Componuntur apud Plautum captiv. 4. 1. 3 ludus et iocus, trucul. 1 2. 11 ioculus et ludus (ceterum etiam apud Horatium sat. 1. 5. 98 risusque iocosque). Amat Plautus verbis ludere, ut cum »innumeri numeri« (quae quid spectent vide ex Cic. orat. 20; Hor. sat. 1. 4. 47) comparare possis ex. gr. „amoenis moenibus" Trucul. prol. 2. et sexcenta alia. Sed locutionis „morte dari" exemplum non invenio.

[3]) Liv. 6, 29.

numentum rerum gestarum, his ferme incisa litteris fuit: „*Iupiter atque Divi omnes hoc dederunt, ut T. Quinctius dictator oppida novem caperet.*“

Huius tabulae inscriptionem, antiquam sane et eo tempore confectam, quo nullusdum poeticae arti honos habitus est, *Niebuhrius*, *C. O. Müllerus*, *Düntzerus*, assentiente *Bährio*,[1]) in versus Saturnios redegerunt; non quod Livius tale quid dixisset, sed grammaticum quendam secuti, qui hoc in more triumphantium fuisse scripsit. Itaque Niebuhrius in hunc modum tres veteres versus constituit:

Iúppiter átque Divi omnés hoc dedérunt
Ut Titus Quínctius dictátor (Románus)
Oppida nóvem dĭebús novem cáperet.

Paullo aliter C. O. Müllerus:

Iovis atque divoe conctoe hoc dederunt Tito
Quinctio dictatori ut per dies novenos
Novem urbes capsit atque
Tum decumam Praenesten.

Et hi quidem ita, grammatici cuiusdam auctoritate, ut dixi, ducti; cuius quae sit fides, cum ad id loci venero, ostendam. Contra ea ego in Livii auctoritate consisto, qui tabulam illam Quinctii laudes praedicantem versibus Saturniis sive, ut apud nostrum audiunt, incompositis, inconditis, conscriptam esse, ne verbo quidem significavit, neque ullo modo versus retulit, nisi forte principium inscriptionis „Iupiter atque Divi omnes hoc dederunt“ trochaico trimetro, eo scilicet versu, quem neque tragoedia neque comoedia unquam agnovit, sive duobus ithyphallicis, constare credideris. Ut breviter dicam, apud Livium nihil aliud nisi argumentum tabulae summatim perscriptum exstat. Et in hoc quoque, more suo, non fidus interpres, qui verbum verbo reddere studet, exstitit.[2]) Cuius rei luculentissimum documentum habeo locum ex Festi excerptis, quo evincitur, ne omnia quidem recenseri, quae tabulae inscripta erant.[3]) Omittit enim dicere, quot pondo auri Cincinnatus in templo deposuerit. Denique, ut hoc etiam ad-

---

[1]) *Niebuhr* röm. Gesch. II. 662; *C. O. Müller* Götting. gelehrte Anzeigen 1820. Nro. 138. p. 1376; *Düntzer* de versu Sat. p. 68; *Bähr* Gesch. der röm. Litt. §. 22 not. 11.

[2]) Minime accuratam inscriptionis rationem haberi, verba indicant, quibus tabula inducitur: *his ferme incisa litteris fuit.*

[3]) Festus s. v. trientem p. 275 Lindem. „Trientem tertium pondo coronam auream dedisse se Jovi donum scripsit T. Quinctius Dict . . . . quom per novem dies totidem urbes et decimam Praeneste cepisset; id significare ait Cincius in Mystagogicon l. II. duas libras pondo et trientem.«

dam, scriptus est titulus non antiqua scriptura, apta huic tempori, sed vulgari, quae postea in usu erat, qua etiam Livius utitur, si ipsis verbis antiquissima foedera et formulas refert.[1]) Lusus igitur ingenii esse videtur, Livii verba in numerum Saturnium cogere.

8. Inscriptio Pyrrhi regis Epiri (a. u. 473).

Proxime accedit, si temporis rationem habes, ad Cincinnati tabulam Pyrrhi regis titulus in templo Iovis Tarentini affixus. Quamquam iustis centum annis ab ea distat. Cuius de origine haec memoriae prodita sunt. Post proelium ad Sirim inter Pandosiam et Heracleam factum (a. u. 473 Cap.) Pyrrhus victor partem praedae in templo Iovis, multis quondam donis insigni,[2]) quod erat in acropoli urbis Tarentinae, consecravit. Cui dono, auctore Orosio,[3]) hunc titulum fecit: „*Qui ante hac invicti fuere viri, pater optime Olympi, hos ego in pugna vici victusque sum ab isdem.*“

Qua de re nec est, quod Orosio fidem detrahamus, nam Pyrrhum luculentissimam praedae partem Diis consecrare solitum esse, alio docemur exemplo;[4]) nec abnuerim, cum Plutarchus, cuius fides pendet ex Hieronymi Cardiani, Dionysii Halicarnassensis et Phylarchi auctoritate, huius rei mentionem non faciat, Orosium hausisse e Livio, quem praeter Iustinum praestantissimum eius exstitisse fontem vir quidam doctus uberrima disputatione nuper demonstravit.[5]) Namque, ut hoc moneam, hunc titulum ex

---

[1]) Cf. Liv. 8, 11.

[2]) Strabo VI. p. 278 Cas.

[3]) Editionem contuli principem (Augustae 1471), in qua lib. IV. capitul. VI verba sic leguntur: »Sed pirrhus atrocitatem cladis, quam in hoc bello exceperat, diis suis hominibusque testatus est; affigens titulum in templo tarentini iovis, in quo haec scripsit: qui ante hac invicti fueri viri, pater optime olimpi, hos ego in pugna vici victusque sum ab hisdem. At cum a sociis increparetur, cur se victum diceret qui vicisset, respondisse fertur: ne ego si iterum eodem modo vicero sine ullo milite epirum revertar.“ In editione Venet. 1500 titulus in hunc modum scriptus est: „qui ante hac fuere invicti viri, pater optime Olympi, hos ego in pugna vici victusque sum ab eisdem.« *Paulus Diaconus* eandem rem ex Orosio repetiit, apud quem, in editione saltem Basiliensi 1569 lib. II. p. 72, verba tituli sic scripta sunt, ut editor hexametrorum loco ea habuisse videatur. „Sed Pyrrhus atrocitatem cladis, quam hoc bello exceperat, diis suis omnibus testatus est, affigens titulum in templo Tarentini Jovis, in quo haec scripsit:

Qui invicti ante fuere viri pater optime Olympi
Hos et ego in pugna vici victusque sum ab iisdem.«

[4]) Plutarch. Pyrrh. 26.

[5]) *Theod. de Moerner* de Orosii vita eiusque historiarum libris VII. adversus paganos. Berol. 1844.

epigrammate Leonidae Tarentini, Pyrrhi victorias celebrantis, Graece scripto profectum, sed Orosii auctorem Livium esse *Niebuhrius* censuit.[1]) Ex eiusdem Niebuhrii sententia Livii verba nihil aliud erant nisi par versuum Saturniorum antiquissimorum, e Graeco in Latinum sermonem conversum, quorum alter hexametro respondens in hunc modum:

qui antidhac invicti fuere viri, pater optime Olympi,

alter pentametro breviorum versuum ratione compositus esse videatur:

hos ego in pugna vici victusque sum ab isdem.

Et ut haec de versuum ratione omittamus, de quibus, quia paullo obscurius dictum est[2]), liquidius iudicari nequit, illa de versibus Saturniis pronunciata admodum dubia videntur. Nam nobis versiculi in dactylicorum versuum modum cadere videntur, ut non iustos quidem heroicos, sed proxime ad illos accedentes facile agnoscamus illumque Pauli Diaconi editorem supra laudatum haud procul a vero abfuisse credamus. Quare nobis maxime probabile videtur, quod *Näckius*, vir clarissimus, statuit,[3]) hos versus ad Ennium auctorem referendos esse, a quo Livius illos parce detortos repetierit. Constat enim, Pyrrhi bellum in annalibus persecutum esse Ennium, cuius etiam Cicero[4]) versus nonnullos huc pertinentes laudat. Et quamvis rarissime, et, si memoria me non fallit, semel tantummodo Ennii versum integrum apud Livium deprehenderim,[5]) commode tamen fieri potuit, ut illo rerum antiquarum facundo enarratore libere uteretur. Sed etiam Ennius, si Leonidae Tarentini distichon transtulit, more suo, quo non verba, sed vim Graecorum poetarum expressit, libere fecisse putandus est. Ceterum si ex Ennii annalibus Livius titulum mutuatus est, non distichon elegiacum ex hexametro et pentametro constans, quale templo Minervae Itonidis Pyrrhus inscripsit,[6]) sed binos hexametros reddidit. Qua ex re apparet et exstat, quam futilis iterum sit Niebuhrii coniectura statuentis, Livium illam narratiunculam e fontibus hausisse Ennio antiquioribus, quia

---

1) Röm. Gesch. 4te Aufl. III. p. 560 Anm. 841.

2) Graeco hexametro Saturnium respondere, virum doctissimum propterea dixisse conieceris, quod hexametro heroico aeque ac Saturnio sex ictus conveniunt.

3) Index lect. hibern. in univ. Bonn. 1834.

4) De divin. 2, 56 §. 116; de offic. 1, 12 §. 38.

5) Est ille celebratissimus de Q. Maximo: Unus homo nobis cunctando restituit rem.

6) *Τοὺς θυρεοὺς ὁ Μολοσσὸς Ἰτωνίδι δῶρον Ἀθάνᾳ*
Πύῤῥος ἀπὸ θρασέων ἐκρέμασεν Γαλατᾶν,
Πάντα τὸν Ἀντιγόνου καθελὼν στρατόν. οὐ μέγα θαῦμα·
Αἰχμηταὶ καὶ νῦν καὶ πάρος Αἰακίδαι.

post Ennii aetatem epigramma Graecum nemo in Saturnios, sed in elegidium transtulisset.

Omni probabilitate denique caret, quod Düntzerus coniecit, Pyrrhum versus et Graecos et Latinos templo superscripsisse. Qua de causa? Ut in urbe Graeca se prope victum etiam Latina praedicaret lingua? Quid? Epirota hostium lingua usus esset, quae pingue quoddam et barbarum sonare videbatur Tarentinis, Postumium scilicet Romanum legatum Graece et vitiose quidem loquentem paullo post explodentibus? Octo enim annis post satur et imbelle Tarentum Romanorum factum est, qui contumelias in legatum editas graviter ulti urbem vi captam ornamentis pulcerrimis exuerunt.

9. Columna rostrata C. Duilii (a. u. 493).

C. Duilius, qui primus Romanos bellum navale docuit et adversus Carthaginienses primo bello Punico prospere pugnavit, summo honore dignus videbatur. Itaque non solum primus navalem triumphum egit,[1] sed etiam privato ei cum singularis honos habitus,[2] tum etiam in foro columna posita est, monumentum rerum honorifice ab eo gestarum.[3] Cuius columnae inscriptionem a. 1565 repertam et feliciter restitutam esse, neminem fugit, ita ut antiquissimi monumenti saepius quidem instaurati, sed non magnopere mutati exemplum nobis restare vehementer gaudeamus.[4]

Quod monumentum hoc loco commemorandum putavi, non quod inscriptionem ad versus Saturnios relatam esse a quodam sciam, sed ut illustri doceam exemplo, quam mirabiliter sibi repugnent virorum doctorum sententiae, qui permagnum antiquissimarum inscriptionum numerum versibus Saturniis conscriptum esse affirmant, fere nulla alia de causa, quam quod antiquissimae sunt, hanc autem Duilii inscriptionem ad versus non referunt. Quae quidem res erudire nos potest, siquidem res notissima dubitationem haberet, etiam antiquissimis temporibus Romanos tabulas et statuas cum inscriptionibus pedestri oratione confectis posuisse.

---

[1]) Inscr. col. „primosque consol de siceleis claseque cartaciniensеom triumpavet.“ Triumphi apud Orell. onom. Vol. VIII. p. CLIV: „C. Duilius M. f. M. n. Cos. primus navalem de Siculeis et classe Poenica egit K. Intercalar.“ (CDXCIII.)

[2]) Liv. epit. XVII. „Ob quam causam ei perpetuus honos habitus est, ut revertenti a coena, tibicine canente, funale praeferretur.“

[3]) Plin. h. n. 21, 5 §. 11; Sil. Ital. 6, 663 sqq.; Quintil. inst. or. 1, 7.

[4]) Exhibent inscriptionem *Ciacconius* apud Graev. antiq. Rom. IV. p. 1810; *Lanzi* saggio di lingua Etrusca e di altre antiche d'Italia I. p. 148; *Fiedler* röm. Gesch. Anhang Nro. III. p. 348; *Grotefend* lat. Gramm. II. p. 292; *Orelli* inscr. I. 148; *Egger* latin. sermon. vetust. reliq. p. 102.

10. Tabula L. Aemilii Regilli (a. u. 574).

Eo bello, quod Romani cum Antiocho rege gesserunt, L. Aemilius Regillus praetor cum Polyxenida praefecto regio ad Myonnesum promontorium navali proelio prospere pugnavit (a. u. 563 Cap.).[1] Quo proelio inopinato et trepidantius inito praetor Laribus Permarinis, si victoriam darent, aedem vovit. Undecim annis post (a. u. 574) haec aedes a M. Aemilio Lepido, censore et pontifice maximo, in campo Martio dedicata est.[2] Supra valvas templi tabula cum titulo fixa est, quem Livius ad verbum hunc fuisse scribit:[3] „*Duello magno dirimendo, regibus subigendis, caussa patrandae pacis hac pugna exeunti L. Aemilio, M. Aemilii filio, auspicio, imperio, felicitate ductuque eius inter Ephesum, Samum, Chiumque, inspectante eos ipso Antiocho, exercitu omni, equitatu elephantisque, classis regis Antiochi a. d. XI. Kal. Ian. victa, fusa, contusa fugataque est, ibique eo die naves longae cum omnibus sociis captae XIII. Ea pugna pugnata rex Antiochus regnumque (eius mari debellatum). Eius rei ergo aedem Laribus Permarinis vovit.*“

Eodem exemplo tabulam in aede Iovis in Capitolio supra valvas fixam esse, Livius auctor est.

Vix alicui in mentem venisset, ex hoc titulo, tanquam e lapide scintillas, versus Saturnios elicere, nisi grammaticus antiquus, cuius auctoritati nimium, opinor, tribuebatur, in errorem induxisset. *Atilius* enim *Fortunatianus*[4] „apud nostros autem,“ inquit, „in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, victoriaeque suae titulum Saturniis versibus prosequebantur, talia repperi exempla, ex Regilli tabula:

Duello magno dirimendo, regibus subigendis.“

---

[1]) Liv. 37, 28 sqq.

[2]) Cuius situs accuratius indicari vix potest cf. *Becker* röm. Alterth. I. 630; *Hartung* Relig. der Römer I. p. 59. Haud procul a ripa Tiberis abfuisse videtur, cf. fast. Praenest. Verrii Flacci apud Orell. inscr. II. 408: »Decemb. 22. Laribus Permarinis in portubus (Tiberis) . . . polluceut.« Macrob. saturn. 1, 10: „Undecimo autem Kalendas (Januar.) feriae sunt Laribus consecratae, quibus aedem bello Antiochi Aemilius Regillus praetor in campo Martio curandam vovit «

[3]) Liv. 40, 52. Non inducit hanc tabulam, quemadmodum Cincinnati, in universum tantum argumentum enarrans, sed satis definite »tabula,« inquit, »*cum hoc titulo* fixa est.« Livii verba pessime depravata cum Heusingeri et Kreyssigii coniecturis exhibuimus; paullo aliter Sigonius apud Drackenborchium: „Duello magno regibus dirimendo* caput* subigendis* patrandae pacis** hac pugna etc. . naves longae cum omnibus sociis captae XLII.«

[4]) P. 2679 Putsch.

Quibus verbis ductus iam *Maffeius* in arte critica lapidaria e titulo versus Saturnios restituendos esse censuit. *Morcellius* [1]) et *Düntzerus* [2]) de re desperarunt, quae *God. Hermanno* [3]) non fuit nimis ardua.

Atque hoc loco, ut perspiciatur, penes quem sit auctoritas, paüca de fide Atilii Fortunatiani dicenda videntur. Duorum ad nos Fortunatianorum notitia pervenit. Alter est Curius Fortunatianus consultus, cuius exstant in collectione rhetorum Pithoei artis rhetoricae libri tres;[4]) alter est grammaticus, cuius exstat ars et de metris Horatianis in collectione grammaticorum Putschii [5]). Hic noster est, qui artem metricam conscripsit et de Saturnio quoque versu pauca tradidit. De cuius aetate certa dici non possunt, sed aequalis Cassiodori et exeunte quinto vel ineunte sexto post Christum saeculo vixisse creditur. Si quaeris, quae fuerit eius doctrina, mediocrem esse facile invenies. Alienis fontibus suos hortulos irrigat, et quod ad Saturnium versum pertinet, omnis de Terentiano et Mario Victorino pendet. Imprimis ridiculus est, si Horatii censorem agit. Exempla versuum Saturniorum non modo ad ipsius praecepta non quadrant, sed omnino inepta sunt. Ad summam: est auctor levissimus fide non modo ambigua, sed nulla. Quod ne cui inconsideratius dictum videatur, quae de versuum Saturniorum ratione tradidit, paullo accuratius inspicere iuvat.

Metricorum Romanorum princeps sine dubio Terentianus Maurus habendus est, a quo omnis fere ceterorum grammaticorum rei metricae scientia manavit. Quod nusquam facilius perspicitur, quam in iis, quae de versu Saturnio praecipiunt. Nam non solum alter alterum ad verbum saepe exscribit, verum etiam, ut libitum est, de suo addit remque addendo ad absurdum auget. Dixerat Terentianus, versus Saturnii esse originem Graecam et Graecos metrum istud certo modo dedisse. Supervenit Marius Victorinus, clarissimus quondam sub Constantino urbis Romae rhetor, qui a Graecis eum varie et multiformiter inductum esse, nec tantum a comicis, sed etiam a tragicis docet. Existit denique Atilius, qui Euripidem, Callimachum et Archilochum nominatim laudat. Simili modo primus Terentia-

---

[1]) De stilo inscript. latin. II. p. 9.

[2]) De versu Sat. p. 69.

[3]) Elem. doctrin. metr. p. 616.

[4]) P. 38 ed. Paris. 1599. In codice vero antiquissimo Bernensi Nro. 363 audit C. Consul Chirius (non Mirius, ut est apud Sinnerum catol. libr. ms. bibl. Bern. III. p. 562) Fortunatianus sive Clodianus Chirius Fortunatianus.

[5]) P. 2671.

nus Saturnium constare dixit clauda parte dimetri iambici, iunctis tribus trochaeis. Paullo fusius nec tamen inepte Marius Victorinus tres primos pedes et semipedem habere ex parte prima dimetri, reliquos vero tres pedes a parte prima quadrati tragici trochaici exponit. Atilius denique, postquam eum versum optimum esse dixit, quem iam Terentianus et Victorinus laudaverant, utpote a Metellis in Naevium factum, Saturnium constare fingit ex Hipponactei quadrati iambici posteriore commate et Phalaecio metro. Quod satis perverse atque confuse dictum esse in promptu est. Nemo enim unquam Hipponacteum quadratum iambicum novit. Hipponacteus dicitur et trimeter iambicus claudus:

⏓ –́ ⏑ –́ | ⏓ –́ ⏑ –́ | ⏓ –́ –́ ⏑

et tetrameter trochaicus claudus, cuius ultimus pes non est creticus, sed palimbacchius:

–́ ⏑ –́ ⏓ | –́ ⏑ –́ ⏓ | –́ ⏑ –́ ⏓ | –́ –́ ⏑

Quadratus vero est tetrameter catalecticus et trochaico et iambico numero compositus, quem Romani a numero pedum septenarium dicebant:

–́ ⏑ –́ ⏓ | –́ ⏑ –́ ⏓ || –́ ⏑ –́ ⏓ | –́ ⏑ –
⏓ –́ ⏑ –́ | ⏓ –́ ⏑ –́ || ⏓ –́ ⏑ –́ | ⏑ –́ ⏑

Dicere igitur voluit Atilius, priorem Saturnii partem constare e posteriore commate tetrametri catalectici iambici, sive quadrati, sive septenarii. Sed non minus praepostere addit: „et Phalaecio metro.“ Phalaecius enim versus, qui in logaoedicorum numero habetur, est dactylicus tripliciter trochaicus acatalectus cum basi, sive, Romano nomine, Hendecasyllabus:

x́ ⏓ | –́ ⏑ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏓

Apparet Atilio dicendum fuisse, alteram Saturnii partem clausulae versus Phalaecii respondere, nisi forte pro „Phalaecio“ scribere voluit aut vere scripsit „Phallico“, quod idem est ac Ithyphallicum. Sed Atilius dum Marii Victorini, quem presso pede sequitur, doctrinam in cellulam suam congerere atque suis plumis vestire studet, omnia ad absurdum perturbat.

Paullo rectius alio loco [1]) Saturnium sic describit: „habet autem prima parte iambicon dimetron catalecticon, in secunda trochaicon dimetron brachycatalecticon, quod et Ithyphallicum diximus.“ Nam, concesso nomine dimetri brachycatalectici, versus ita comparatus hic est:

⏓ –́ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏓ | –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏓

Hoc igitur non inscienter. Sed in exemplis afferendis admodum fatuum se praebet.

[1]) P. 2698 P.

Primum exemplum, quod apud Euripidem et Callimachum se invenisse dicit,

turdis edacibus dolos comparas amice,

huius est formae:

⏓ –́ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏑ –́ | –́ ⏓ –́ ⏓ –́ ⏓

Et vere quidem doctissimus Hephaestion ex Euripide et Callimacho huiuscemodi versus laudavit.[1] Sed idem docuit, hunc versum esse Euripideum quattuordecim syllabarum, asynartetum, constantem ex iambico dimetro acatalecto et tribus trochaeis. Minime igitur ad Saturniorum genus pertinet, quorum pars prior non est dimeter iambicus acatalectus, sed catalectus. Nec quisquam versiculum ab Atilio laudatum vere ex Euripide vel Callimacho desumptum putaverit; est potius a Victorino depromptus, qui eum ex ingenio, ratione fortasse habita loci cuiusdam Martialis,[2] finxerat. Ceterum metrum Euripideum quattuordecim syllabarum satis notum est ex Aristophanis vespis,[3] qui bis[4] caesurum neglexit, spondeum ubique et semel[5] quinto pede dactylum admisit.

Alterum exemplum, quod Atilius laudat, hoc est:

consulto producit eum, quo sit impudentior

quod ad praecepta de versu Saturnio conformatum non esse ante oculos est. Respondet enim versui Eupolideo, cuius pars prior constat e Glyconeo polyschematisto (sive basi duplici cum choriambo), posterior e basi duplici et cretico, ut haec sit eius forma:

x̲ ⏓ x̲ ⏓ –́ ⏑ ⏑ – | x̲ ⏓ x̲ ⏓ | –́ ⏑ ⏒

Luculentissimum huius metri exemplum praebet Aristophanes in nubibus,[6] qui primo pede tribachyn,[7] ceteris spondeum admisit, caesuram in

---

[1]) Heph. p. 55. Eur. frgm. inc. 198:

ἑῷος ἡνίχ' ἱππότας ἐξέλαμψεν ἀστήρ

Callim. fr. 116.

ἔνεστ' Ἀπόλλων τῷ χορῷ· τῆς λύρης ἀκούω
καὶ τῶν Ἐρώτων ᾐσθόμην· ἔστι κἀφροδίτα.

[2]) Martial. 2, 40. Subdola tenduntur crassis modo retia turdis.

[3]) V. 248 – 272.

[4]) V. 252. 265.

[5]) V. 255. *ἀποσβέσαντες τοὺς λύχνους ἄπιμεν οἴκαδ' αὐτοί.*

[6]) In parabasi celebratissima v. 518 sqq.

[7]) V. 539. Eodem fere modo est secundum Boekhium Sophocleae Antigonae v. 1071 conformatus, nisi quod loco choriambi est Adonius:

x – x – ,   – | x – x – | , ⏑
– ⏑ – ⏑ –́ ⏑ ⏑ – ⏑ | – ⏑ – ⏑ | –́ ⏑ –

Quem versum Wunderus (v. 1100) e glyconeo polyschematisto et dimetro iambico constare voluit.

fine Glyconei saepissime neglexit. Minime igitur huius generis versus, quem Atilius fortasse e comico quodam expiscatus est, ad Saturnios referendus erat.

Tertii denique generis hoc exemplum Atilius proposuit:

quem non rationis egentem vicit Archimedes.

Iterum hoc loco de Euripideo quattuordecim syllabarum cogitare posses, nisi anapaestus pede secundo obstaret. Pars prior videtur esse a clausula hexametri heroici deprompta:

— | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏓

pars vero posterior e tripodia trochaica acatalectica sive Ithyphallico constare. Saturnium a Terentiano descriptum agnoscere poteris, si pedibus secundo et tertio anapaestos admiseris, in hunc modum:

— — | ⏑ ⏑ — | ⏑ ⏑ — | ⏓ || — ⏑ | — ⏑ | — ⏒.

Quod autem versiculi verba attinent, videntur conflata e Virgilii vel Ovidii locis,[1]) quibus adiunctus est Archimedes in vitae quotidianae sermonibus proverbii loco habitus.

Duos insuper alios versiculos Atilius laudat quippe e Naevio petitos, quos solos idoneos se reperisse perhibet. Sane mirabile esset, si in septem libris celebratissimi de bello Punico carminis non nisi unum par ex lege factum exstitisset. Sed Atilium Naevii libros nunquam in manibus habuisse haud dubito pronunciare, neque difficile est, huius rei eum convincere.[2]) Nam utrumque versum, quem pro Naeviano venditat, e Mario Victorino suffuratus est; sed Marius alterum utrum, quem noster temere Naevianum facit,

ferunt pulcras pateras aureas lepidas,

non e Naevio, sed ab alio quodam antiquo petitum dixit.

Restat denique illud Atilii commentum, cuius iam mentionem fecimus, quo non paucos homines doctos in errorem induxit. Cum enim laboraret vir bonus maxime in inveniendis idoneis versibus, antiquos quod durissimos eos, alios breviores, alios longiores fecissent, inculpans, magnum quoddam et praeclarum sibi hoc invenisse visus est, triumphaturos duces in tabulis Capitolio affixis victoriae titulum Saturniis versibus prosecutos esse. O for-

---

[1]) Virg. Aen. 8, 299 non te rationis egentem; Ovid. met. 15, 150 ac rationis egentes; Lucret. 5, 1210 rationis egestas.

[2]) Verissime *Madvigius* de re simili „post Cassiodori vero aetatem,“ inquit, „si quis horum (grammaticorum) unius locum non ab alio sumptum, sed in ipso libro lectum citaverit, mirum videri debet, si plurium scripta, suspectum.“ Opusc. p. 15.

tunatum hominem, qui Regilli et Acilii Glabrionis tabulas sexto urbis saeculo in aede Iovis Capitolini affixas sexto post Christum saeculo tuis ipsis oculis videris! Videlicet oblitus es, vir egregie, Capitolium bello civili a. 671, quo Sulla victor urbem intravit, conflagrasse.[1] Plane memoria tibi excidit, idem accidisse a. 69 p. Chr., Vitellianis arcem defendentibus, quo incendio tria millia aerearum tabularum simul conflagraverant, quarum restituendarum curam Vespasianus suscepit.[2] Te fugit, decem annis post (a. p. Chr. 79) incendio quodam, quod nonam potissimum urbis regionem vastavit, rursus arsisse et a Domitiano demum restitutum esse.[3] Denique rationem non habuisti cladum, quae urbi a. p. Chr. 410 ab Alarico et Gothis,[4] a 455 a Genserico et Vandalis illatae sunt.[5] O plumbeum pugionem, quo nobis glaucomam ob oculos obiici posse censueris! Alias tabulas tu non vidisti, quam quas hodie quoque unicuique nostrum inspicere licet, scilicet Livii locos, in quibus versus Saturnios inesse naribus nimis emunctis odoratus es. Sed parum feliciter rem tuam gessisti. Versus enim, quem affers

duello magno dirimendo regibus subigendis,

quo modo respondet ei, quem tu optimum esse dicis;

malum dabunt Metelli Naevio poetae?

Subsimilem esse affirmas ei, quem paullo ante posuisti:

consulto producit eum quo sit impudentior.

At hic est Eupolideus, a quo ille primus toto caelo distat. Nam, etiam Hermanni mensura adhibita,

duelló magno dirimúndo régibus subigúndis,

nescio, quo modo Saturnius exire possit, nisi forte primo pede Bacchius, tertio Creticus et in parte posteriori Dactylus admittitur. Plura addere possem, ni res nos longius ab incepto traheret. Nimium multa de re minime dubia iam locutus sum. Nam luce clarius est, illum mediocriter doctum, prosodiae veteris non satis peritum, exemplum versus Saturnii e Livii loco finxisse, sed, laudato principio, difficultate rei deterritum a cetera inscriptione in versus cogenda manus abstinuisse. Reputaverat enim secum ita: versus Saturnius est antiquissimus Romanorum; atqui Regilli tabula admodum est antiqua; ergo versibus Saturniis scripta fuerit necesse est.

---

1) Cic. Cat. 3, 4 §. 9; Appian. bell. civ. 1, 83; Tacit. hist. 3, 72.
2) Suet. Vesp. 8; Tacit. hist. 3, 71 sqq.
3) Dio Cass. 66, 24; Suet. Dom. 5; Plut. Popl. 15.
4) Oros. 7, 40; Jornandes de reb. get. 30; Augustinus de civ. dei 3, 29.
5) Procop. bell. Vand. 1, 5; Prosper Aquit. p. 675 ed. Roncall.

Simile quoddam auctori scholiorum Bobiensium ad Ciceronis orationes accidisse video, qui in inscriptionibus e L. Accio poeta petitis versus Saturnios sibi reperisse visus est. Sed hac de re alio loco dicendum erit.

Nihil igitur opus est temporis insuper rationem contra auctorem tantae levitatis in auxilium vocare. Nam aedes Larium Permarinorum vix decimo anno ante Ennii obitum dedicata est, quo tempore iam Musae Graecae in agresti Latio habitabant veteresque versus horridos fugaverant. Regilli igitur tabulam pedestri oratione scriptam fuisse probabile est.

11. Tabula Man. Acilii Glabrionis (a. u. 572).

M'. Acilius Glabrio, consul a. u. 562, cum rege Antiocho ad Thermopylas, nobilem variis cladibus locum, ita conflixit, ut et eum Graecia expelleret et Aetolos feroces domaret.[1] Qua de re feliciter gesta a. 563 magnificum triumphum egit de Aetolis et rege Syriae Antiocho.[2] Sed in illa pugna aedem voverat locaveratque ex senatus consulto. Ipse vero non supervixit dedicationi, quae facta est a filio eius, M'. Acilio Glabrione, duumviro, a. 572.[3] Erat illa aedes Pietatis in foro Olitorio ante portam Carmentalem, quo loco postea Augustus theatrum Marcelli iam a Caesare inchoatum exstruxit.[4] Tabulam cum titulo additam esse, nemo scriptorum narrat, sed statuam auratam, quae prima omnium in Italia statua aurata sit, patri Glabrioni filium posuisse Livius tradidit. Nihilominus tamen idem Atilius Fortunatianus, quem iam supra insigniter hallucinantem deprehendimus, huiusmodi tabulam fuisse auctor est, ex qua hunc versum Saturnium, si metricae tantum rationem habes, non ita male tornatum, affert:

Fundit, fugat, prosternit maximas legiones.

Sed hoc loco, si qua dubitatio de fide Atilii remanserat, omnino tollitur. Nam etsi non a probabilitate abhorret, statuae auratae Glabrionis titulum additum esse, quod idem in statuis equestribus C. Maenii a. 415

---

[1]) Liv. 36, 15 sq.

[2]) Triumphi ad h. a; Liv. 37, 46.

[3]) Liv. 40, 34. Dubium esse vix potest, quin *G. J. Vossius* erraverit, qui Glabrionem a Fortunatiano laudatum eundem esse credidit ac C. Acilium Glabrionem, quaestorem a 551 Varr., tribunum plebis a. 556, cuius exstabant annales Graece scripti, a Claudio Quadrigario in Latinum sermonem translati. Cf. *G. J. Voss* de hist. graec. ed. *Westermann* p. 152. Eum corrigere debebat nec rem in incerto relinquere *Krause* frgm. hist. p. 85.

[4]) Festus s. v. Pietati p. 197 Lindem.; Val. Max. 2. 5. 1; Plin. 7, 36; Suet. Aug. 29; *Becker* röm. Alterth. I. 602.

et Q. Marcii Tremuli a. 447 positis [1]) factum esse creditur, aliud tamen est tabula aedi affixa, aliud inscriptio statuae praetexta. Ad hoc si etiam tabulam templo affixam esse concederes, fieri tamen nullo pacto potuit, ut Atilius illam suis ipsis oculis vidisset. Nam templum Pietatis iam Caesar demolitus est, ut theatro exstruendo aptum locum haberet.[2]) Nulla igitur tabula exstante, nullo scriptore eius argumentum referente, unde Atilius illa petere potuit nisi de suo? Cuius rei aperte se auctorem prodidit, cum in tabula illa fictitia „*fundit, fugat, prosternit*“ inscriptum esse diceret. Nam, quod iam *Lerschius* recte vidit,[3]) de Glabrione scriptum fuisse necesse erat: „*fudit, fugavit, prostravit.*“ Itaque versiculum illum ne ex historico quidem depromptum, sed ab homuncione semidocto temere fictum esse crediderim; quod idem fere *Hermannum* statuisse video,[4]) dum *Düntzerus* versuum pangendorum cupidissimus facile se falli passus est.

12. Tabula Ti. Sempronii Gracchi (a. u. 580).

Ti. Sempronius Gracchus, pater tribuni plebis illius optimi simul atque infelicissimi, imprimis clarus factus est, quod omnes Sardorum populos, qui defecerant, perdomuit et in ditionem redegit (a. u. 576 Cap.). Quam ob rem feliciter gestam senatus et honorem insignem Diis habendum et Ti. Sempronio proconsuli cum exercitu per biennium in Sardinia manendum esse decrevit.[5]) Reversus Romam a. 578 triumphavit de Sardis et iterum biennio post a. 580 tabulam artificiose factam[6]) in aede Matris Matutae ponendam curavit, cuius indicem hunc fuisse Livius affirmat: *Ti. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitusque populi Romani Sardiniam subegit; in ea provincia hostium caesa aut capta supra octoginta millia. Republica felicissime gesta atque libertatis (sociis), vectigalibus restitutis, exercitum salvum atque incolumem plenissimum praeda domum reportavit, iterum*

---

[1]) Plin. h. n. 34, 5 §. 11; Liv. 8, 13. *Niebuhr* röm. Gesch. III. 167; *Becker* röm. Alterth. I. 322.

[2]) Dio Cass. 43, 49 *τὰς δὲ οἰκίας τούς τε ναοὺς τοὺς ἐν τῷ χωρίῳ ἐκείνῳ ὄντας ὁ Καῖσαρ καθελὼν κ. τ. λ.*

[3]) De versu Sat. p. 25. Frustra obloquitur Düntzerus ibid. p. 69.

[4]) Elem. doctr. metr. p. 611.

[5]) Liv. 41, 17. 21.

[6]) Liv. 41, 28 „Sardiniae insulae forma erat atque in ea simulacra pugnarum picta.“ Coniicere licet ligneam fuisse. Cf. Porphyr. ad Horat. Pis. v. 399: „Aereis enim tabulis antiqui non sunt usi, sed roboreis. In has incidebant leges, unde adhuc Athenis legum tabulae *ἄξονες* (et *κύρβεις*) vocantur.„

triumphans in urbem Romam rediit. Cuius rei ergo hanc tabulam donum Inoi dicavit."

Nequeo satis mirari, quod ex hoc titulo, quem Livius accurate transscriptum iisdem fere verbis [1]) inducit ac Regilli tabulam sexennio ante positam, nemo versus Saturnios facere conatus sit, nisi unus *Walchius*, cuius haec est infelicissima emendationum.[2])

Cui opitulatus quodam modo *Hermannus*, assentiente *Düntzero*,[3]) non abhorrere quidem a verisimilitudine illam tabulam Saturniis versibus inscriptam fuisse, sed Livium in afferendo titulo plus sibi licentiae sumpsisse censuit. Verum equidem ipsum ita iudicantem non a licentia abfuisse crediderim. Nam plane eodem iure haec Livii verba in versus Saturnios redigere licuit, ac illa, quibus Regilli titulus continetur. Quodsi factum non est, quia grammatici cuiusdam auctoritas desiderabatur, inde videre est, Atilium ex Regilli tantum et Glabrionis tabulis versus Saturnios laudantem neque ratione neque argumentis ductum id facere potuisse, sed casu aliquo et in illas incidisse et illis satis habuisse.

13. Tabula Cn. Octavii (a. u. 586).

Sexto anno post L. Aemilii Paulli triumphum de Perse etiam Cn. Octavius triumphavit, qui praetor classi praeerat regemque Macedonum vivum ceperat.[4]) Triumphus navalis actus est Kal. Dec. a. u. 586 Cap.[5]) Ad celebrandam victoriam in circo Flaminio e praeda opima porticum magnificam exstruxit, quam de suo nomine Octaviam appellavit, cui etiam Corinthiae nomen erat a capitulis aereis columnarum Corinthiarum, quarum primum Romae exemplum erat.[6]) Quam incendio deformem reficiendam curavit Caesar Augustus et ex nomine conditoris usque Octaviam appellari passus est.[7]) Aliae erant porticus Octaviae, quas cave cum hac confundas, a Metello Macedonico a. 607 exstructae, ab Augusto vero instauratae et in honorem sororis Octaviae appellatae.[8])

---

1) »Cum indice hoc.«
2) *Georg Lud. Walch* emendat. Livian. p. 254.
3) Elem. doctr. metr. p. 616; *Düntzer* de vers. Sat. p. 70.
4) Liv. 44, 17; 45, 6.
5) Triumphi apud Orell. p. CLVII.
6) Vell. 2. 1. 2; Festus s. v. Octaviae porticus p. 186 Lindem.; Plin. h. n. 34, 3 §. 7.
7) Monumentum Ancyr.; Festus l. c. *Becker* röm. Alterth. I. pp. 608. 617.
8) Vell. 1. 11. 3, Plin. 36; 5 §. 42; Vitruv. 3, 1.

Illi igitur priori porticui Octaviae tabulam vel inscriptionem fuisse, non est quod dubitemus. Nam id fere semper fieri solebat, et, si factum non est, ut in Metelli porticibus, quasi singulare quoddam a vulgari consuetudine recedens memoratur. Augurari praeterea licet, Cn. Octavii nominis, rerum ab eo cum Perse gestarum, praedae copiae, aliarum rerum, quae sunt huiuscemodi, mentionem honorificam esse factam. Sed si Saturniis versibus illam tabulam conscriptam esse coniicitur, quod *Düntzerus* fecit,[1]) coniectura haec est ex vano hausta. Quod *Dacierius* addit,[2]) Cn. Octavium res a se gestas in ea depingendas curasse, unde hauserit, me fugit; nescio, an hoc ex eo, quod apud Velleium porticus amoenissima audit, perperam colligatur.

14. Inscriptio L. Mummii Achaici (a. u. 608).

L. Mummius, Achaiae victor Corinthique eversor, triumphavit de Achaeis et Corinthiis anno post quam Scipio de Poenis et Hasdrubale, id est a. u. 608 Cap. Ob res bene gestas Herculi Victori aedem et signum, quod in bello voverat, dedicavit. Cuius rei documento est inscriptio Romae reperta, quae infra adscripta est:[3])

L. MVMMI. L. F. COS. DVCT.
AVSPICIO. IMPERIOQVE.
EIVS. ACHAIA. CAPT. CORINTO.
DELETO. ROMAM. REDIEIT.
TRIVMPHANS. OB. HASCE.
RES. BENE. GESTAS. QVOD.
IN. BELLO. VOVERAT.
HANC. AEDEM. ET. SIGNV.
HERCVLIS. VICTORIS.
IMPERATOR. DEDICAT.

Nihil hoc loco difficultatem movet, nisi quaestio de aede Herculis Victoris sive Invicti.[4]) Nam plures fuisse memoriae proditum est. Altera erat ad forum Boarium sita, altera ad portam Trigeminam, illa, ut fama ferebat, iam ab Evandro dicata, haec a quodam M. Octavio Herennio.[5])

---

1) P. 70.
2) Apud Lindem. p. 543.
3) Apud Orell. Nro. 563.
4) Invictus dicitur apud Orell. inscr. Nro. 1535. 1536. 1540. 1541. 1542. 1550.
5) Plin. 34, 7. §. 16; Macrob. Saturn. 3, 6.

Praeterea tertia erat aedes Herculis Victoris ad circum maximum.[1]) Dixerit aliquis, antiquum illud templum in foro Boario, sedem Herculis triumphalis, qui in triumpho imperatorio veste triumphali indutus circumferebatur, incendio magno a. 561 deletum,[2]) a Mummio triumphatore restitutum esse. Quod incertus, num inscriptionis verba admittant, in medium relinquam. Sane memoratu dignum est, templi a Mummio conditi alias mentionem non fieri, contra ea referri, hominem obsequendi facilem et mitem Lucullo ad ornandum Felicitatis templum partem ornamentorum, quibus omnem Italiam referserat, libenter cessisse.[3])

Utcunque res se habet, primus *Marinius* in inscriptione versus Saturnios vidisse videtur.[4]) Secuti sunt *Orellius*, *H. Meyerus*, *Düntzerus*, ad ceterarum tabularum, quas Atilius versibus Saturniis scriptas esse dixerat, formam etiam hanc comparatam esse rati.[5]) Sed de huius auctoritate, de temporis ratione, de totius coniecturae infirmitate abunde dictum puto, quare ad recensendas quasdam, quae supersunt, inscriptiones pergam.

Restant enim quattuor inscriptiones, quas in numerum Saturnium coëgit male locata hominis docti sedulitas. Quae quamvis ad antiquissima tempora pertineant, non convenit tamen de tempore, quo scriptae sint. Nam plane eodem modo, quo hodie apud nos, apud Romanos olim viris illustribus priorum saeculorum statuae et inscriptiones positae sunt. Prima igitur est:

15. Inscriptio L. Albinii.

Post atrum ad Alliam diem (a. d. xv. Kal. Aug. 363 Cap.)[6]), pavore ingenti et trepidatione urbi Romae iniecta, cum suam quisque spem exsequeretur, maxima plebis turba petiit Ianiculum, ut inde per agros dilapsi urbes finitimas adirent. Inter quos erat L. Albinius, de plebe Romana homo, sed insigni adversus Deos pietate, plaustro coniugem ac liberos vehens. Qui cum flaminem Quirinalem virginesque Vestales sacrorum partem secum trahentes et pedibus euntes conspexisset, descendere uxorem ac pueros iussit, virgines sacraque in plaustrum imposuit, et Caere, quo iter

---

[1]) Fast. Amit. Prid. Id. Aug.; Plin. 34, 8 §. 57. Templi a Mummio dicati mentionem apud Beckerum non invenio factam.

[2]) Liv. 35, 40.

[3]) Strabo 8, 6. p. 381 Cas.

[4]) Atti e monumenti de' fratelli Arval. Roma 1795 I. p. 30.

[5]) Orelli l. c.; H. Meyer anthol. Nro. 13; Düntzer p. 66.

[6]) Gell. 5, 17; Serv. ad Virg. Aen. 7, 717; *Merkel* ad Ovid. fast. p. XXXIII.

sacerdotibus erat, pervexit. His fere verbis Livius.[1]) Quod factum cum recte nobile videretur, non est mirum, si inscriptione quoque celebratum est. Inscriptio admodum lacera, quae Romae quondam in Pantheo fuisse dicitur, exstat apud Orellium;[2]) cuius exemplum infra scriptum est.

. . . ADERENT. CAPITOLIV . . . .
. . STALES. CAERE. DEDVXIT . .
. . QVE. RITVS. SOLEMNES. NE
. . . RENTVR. CVRAI. SIBI. HABVIT
. . ERATA. SACRA. ET. VIRGINES
. . XIT.

Niebuhrius illam in hunc modum restituit:[3]) Cum | Galli obsiderent Capitolium | virgines Vestales Caere deduxit | sacra atque ritus sollemnes ne | negligerentur curai sibi habuit | urbe recuperata sacra et virgines | Romam revexit.

Neque tamen hic vir, sed solus *Düntzerus*[4]) versibus Saturniis eam constare voluit. Quod difficile esset probatu, nisi vir doctus a commento suo proficisceretur, Romanos in his versibus syllabas tantum numerasse, neque earum naturae, neque accentus ratione habita. Inscriptionem vero quarto urbis saeculo confectam esse, iam sermo non sinit, qui non ad rudem duodecim tabularum, columnae rostratae, sepulcrorum Scipionum modum, sed ad posterioris temporis politiorem cultum conformatus est. Saeculo Augusteo ortam coniicias, cum in Pantheo locum habuisse dicatur. Quare non est, cur ad illam numerus Saturnius antiquissimus adhibeatur. Cuius rei si qua causa fuisset, profecto non se abstinuisset a versibus pangendis vir Romanae antiquitatis ut peritissimus, sic plurimi aestimans et Saturniorum amantissimus.

16. Inscriptio M. Furii Camilli.

Camillus, vindex urbis Romae a Gallis et inde parens patriae, alter Romulus conditorque urbis dictus, vir multum meritoque celebratus,[5]) a. u. 388 ea pestilentia obiit, quae ansam dedit ludorum scenicorum instituendorum. Inscriptio Florentiae reperta haec praeclara eius facta collaudat:

---

1) Liv. 5, 40.
2) Nro. 537.
3) Röm. Gesch. II. 607. Anm. 1201. Rectius alii pro „obsiderent" *invaderent*.
4) P. 67.
5) Cuius laudem vide apud Liv. 7, 1.

probibuisse migrari Veios,[1]) Sutrium oppidum, ab Etruscis captum, Sutrinis, sociis populi Romani, reddidisse,[2]) Volscos, veteres nominis Romani hostes, et Aequos ad deditionem subegisse,[3]) trium simul bellorum victorem triumphantem in urbem rediisse,[4]) denique, si coniecturae locus datur, facta ad Velitras contra Praenestinos pugna, Volscis iterum ad Sutriam devictis et recepto Tusculo, magistratu abiisse.[5]) Inscriptionis reliquiae[6]) hae sunt:

.. VEIOS POST VRBEM
CAPTAM COMMIGRA
RI PASSVS NON EST
ETRVSCIS AD SVTRIVM
DEVICTIS AEQVIS ET
VOLSCIS SVBACTIS
TERTIVM TRIVMPHA
VIT QVART .... SE
VELITERN ...

Aquam e pumice postulas, si ex hac inscriptione versus Saturnios excutere studes. Nec praeter *Düntzerum*[7]) quendam novi, cui tale quid succurrerit.

17. Inscriptio Appii Claudii Caeci.

Appius Claudius Caecus, homo de Roma bene meritus summisque honoribus ornatus, posteris nomen felicissimae memoriae reliquit, quia censor a. u. 441 viam de suo nomine dictam munierat et aquam in urbem duxerat, opus magnificum, cuius reliquiae ad nostra usque tempora durarunt.[8]) Deinde iterum consul a. 457 in bello Etrusco Bellonae victrici templum voverat et haud dubie etiam dicaverat. Quod templum erat prope circum et campum Martium extra muros, ubi senatus dabatur legatis exteris vel iis, qui nondum magistratu abierant.[9]) Praeterea consul Etruscos, maxime

---

1) Liv. 5, 49.
2) Liv. 6, 3.
3) Liv. 6, 2.
4) Liv. 6, 4.
5) Liv. 6, 22.
6) Apud Orell. Nro. 536.
7) P. 67.
8) Liv. 9, 29; Frontin. de aquaeduct. 5; *Becker* röm. Alterth. I. 702.
9) Liv. 10, 19; Ovid. fast. 6, 203; *Becker* röm. Alterth. I. 606.

terribilem ea tempestate hostem, et praetor a. 458 Samnites infestissimos Romanis devicit.[1] Sed, quod celebratissimum eius factum erat, a. 473 senex et caecus oratione praeclara senatum iamiam inclinatum a pace cum Pyrrho facienda revocavit.[2] Quarum rerum honorifice gestarum mentionem facit inscriptio quaedam, quae Arretii reperta infra adscripta est:[3]

APPIVS CLAVDIVS
C. F. CAECVS
CENSOR COS. BIS. DICT. INTERREX III. PR. II
AED. CVR. II. Q. TR. MIL. III. COM
PLVRA OPPIDA DE SAMNITIBVS CEPIT.
SABINORVM ET TVSCORVM. EXERCI
TVM FVDIT. PACEM FIERI CVM PYRRHO
REGE PROHIBVIT. IN CENSVRA VIAM
APPIAM STRAVIT. ET AQVAM IN
VRBEM ADDVXIT. AEDEM BELLONAE
FECIT.

Hanc inscriptionem Appio vivo vel vix demortuo Arretii, urbe tum hostili, non poni potuisse, ipsa res loquitur. Cui vero aetati adscribenda sit, non facile dixerim. Fortasse ad illud saeculum pertinet, quod, antiquissimum dicendi genus affectans, Appium nova gloriola auxit.[4] Sed nullo pacto de versibus Saturniis cogitandum est, minimeque de talibus, quales *Düntzerus* fecit,[5] qui nulli sunt.

18. Inscriptio Q. Marcii Tremuli.

Q. Marcio Tremulo consuli, qui, Anagnia capta, Hernicis et Samnitibus subactis, prid. Kal. Quint. a. u. 447 triumphavit, statua equestris in foro decreta et ante templum Castoris posita est.[6] Inscriptio non exstat, sed eius umbram quandam *Düntzerus*[7] ex Plinii loco commentus est. Lon-

---

1) Liv. 10, 19; 10, 31.

2) Liv. epit. 13; Dion. exc. 18, 20; Plut. Pyrrh. 19; Cic. Brut. 16 §. 61; Cato 6 §. 16; *Meyer* orat. frgm. p. 1; *Niebuhr* röm. Gesch. III. 571.

3) Apud Orell. Nro. 539.

4) Seneca epist. 114 §. 13; Tacit. dial. 18. 21.

5) P. 67.

6) Liv. 9, 43; Cic. Phil. 6, 5 §. 13; Plin. 34, 5 §. 11.

7) P. 70.

gum est, omnes enumerare, quibus tabulae vel statuae positae sunt. Inter quos haud dubie etiam C. Maenio consuli, qui, omni Latio subacto a. 415, eo honore raro illa aetate, dignus videbatur, locus esset.[1]) Sed satis nugarum a viris doctis in medium iam prolatum est. Cui dum hac disputatione cavere iubeo et veto temere credere, non mihi in mentem venit, de iustis clarorum virorum laudibus quidquam delibare, sed ea tantum labefactare volui, quae speciosius et ingeniosius quam verius dicta sunt. Quodsi non vanis ictibus aëra petiisse visus fuero, nihil mihi optatius cadere poterit.

---

[1]) De columna Maenia v. Plin. 34, 5 §. 11; Liv. 8, 13, et quia inter hos auctores discrepat, *Becker* röm. Alt. I. 322.



ADDENDA.

Dum huius scriptionis pagellas perlustro, invenio me, ubi de neniis dixi, praetermisisse Diomedis locum satis memorabilem, quem ceteris adiicere haud cunctor. Est autem libro tertio et in editione Ascensiana[1]) sic legitur: „*Apud Romanos autem id carmen, quod cum lamentatione extremum atque ultimum mortuo accanitur, nenia dicitur* παρὰ τὸ νητὸν τὸ ἔσχατον. *Et in chordis extremus nervus appellatus est nete, et elegia videtur tractum cognominari, quod mortuis vel morituris ascribitur novissimum.*“ Quo ex loco apparet, Diomedem non magnopere dissentire a Festo, qui ea afferens, quae ad vocabuli originem explicandam pertinere videbantur, a quibusdam ideo neniam dictam esse scribit, „sive quod extremam flendo efferimus eam vocem querendoque; nam Graeci *νέατον* extremum dicunt; sive quod chordarum ultima *νήτη* dicitur.[2]) Quod autem elegiae similem quandam originem et usum esse Diomedes tradit, facit cum multis aliis grammaticis. Sic enim ille paullo ante scripserat: „*Elegia autem dicta sive* παρὰ τὸ ἐλέγειν τοὺς τεθνεῶτας *(fere enim defunctorum laudes hoc carmine comprehendebant) sive ἀπὸ τοῦ ἐλέου id est miseratione, quod Tyrrheni Graecique* ἐλεγείας *isto metro scriptitaverunt.*“ Denique id quoque memorandum est, Neniam quasi deam inter divos relatam divinoque honore honestatam esse. Est apud Festum: „Neniae deae sacellum ultra portam Viminalem fuerat dedicatum, nunc habet tantum aediculam.“ Et erat quidem dea tutelaris senum.[3])

Si nullum neniarum exemplum exstare dixi, eas intellexi, quas quondam praeficae canebant. Quarum nomen etsi, teste Varrone, inde a bello

---

[1]) Grammatici illustres XII. In officina Ascensiana Parrhisiis anno 1516. fol. XXX. a ed. Putsch. p. 480.

[2]) P. 176 Lindem. Cf. supra p. 8.

[3]) Augustin. de civ. dei 6, 9: „Et deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Neniam deam, quae in funeribus senum cantatur.“ Arnob. 4, 7: In tutela sunt Orbonae orbati liberis parentes, in Neniae, quibus extrema sunt tempora.“ Cf. *Hartung* Relig. der Römer II. 246.

Punico evanuit, res tamen vel ipso saeculo Augusteo in usu erat.[1]) Neque tamen me fugit, vestigia quaedam superesse cantiuncularum puerilium, nutriciarum, magicarum, quae hic referre haud ab re duxi. Et primum quidem de *neniis puerorum* notissimus est Horatii locus [2]):

. . At pueri ludentes, *rex eris*, aiunt,
Si recte facies . . .

Ad quae Porphyrio: „pueri lusu cantare solent: *rex erit qui recte faciet; qui non faciet, non erit.*“ Quem ludum Dio quoque Chrysostomus respexit loco ab Orellio allato.

Ad alium eiusdem Horatii locum [3]):

Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui est

Acro haec adnotavit: „Metaphoricos autem locutus est a ludo puerorum. Ita enim pueri currentes aiunt: *occupet scabies in extremo remanentem.* Scabies ludus puerorum est, ut habes in Suetonio Tranquillo.“ Quae verius dicta videntur, quam quod est in Cruquii scholiis (non dico commentatore, quippe qui a Cruquio consarcinatus nullus est antiquus commentator): „Qui enim praeest currentibus ad metam pueris dicere solet: qui primus ad metam venerit, is vicerit eumque in ulnas meas accipiam, qui vero erit ultimus, occupet eum scabies, eum respuam ut scabiosum.“

Exemplum *lenium nutricum neniarum*, ut ait Arnobius, servarunt glossae veteres in Persium[4]): „Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere saepe: *lalla, lalla, lalla, aut dormi aut lacte.*“ Cui cantilenae sanctus Hieronymus alludere videtur his verbis: „Forsitan et laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens mammae lallare congeminet.“ [5]) Recte Casaubonus [6]): „proprie lallare nutrix dicitur, quae neniam canens puerum demulcet, ut somnum ei conciliet.“

Quod *Sabella carmina* et *Marsas nenias* attinet ab Horatio et Ovidio memoratas,[7]) non omittam Porphyrionis locum, qui „Sabella autem carmina,“ inquit, „pro Marsis posuit et neniam pro incantatione; alioquin nenia pro-

---

[1]) Varro de vita pop. Rom. lib. IV. apud Nonium p. 48 Gerl.; Sueton. Aug. 100.

[2]) Epist. 1. 1. 59 sq. Notanda est lectio codicis Basil. membran. saec. fortasse XIV (F. IV. 27.) a nemine adhuc collati, cuius ipse institui collationem. Hic igitur codex nequaquam bonitate excellens nec tamen spernendus pro „facies“ *facias* exhibet.

[3]) Ad Pison. 417.

[4]) Ad sat. 3, 18 p. XLVI ed. Dübner.

[5]) Ad Heliodorum epist. 14.

[6]) P. 168 Dübner.

[7]) Hor. epod. 17, 29; Ovid. fast. 6, 142; art. am. 2, 102.

prie carmen est, quod mortuis cantatur.« Nota est res de Marsis, quibus, ut ait Gellius,[1] „vi quadam genitali datum est, ut et serpentium virulentorum domitores sint, et incantationibus herbarumque succis faciant medelarum miracula.« Talium incantationum exempla Cato servavit,[2] quae sunt haec:

Motas vaeta daries dardaries astataries dissunapiter
Huat hanat huat ista pista sista domiabo daumnastra
Huat haut haut ista sis tar sis ardanabon dunnaustra.

Aliud est apud Varronem[3]:

Terra pestem teneto, salus hic maneto

quod bene ad Saturnium numerum quadrat. Et plures quidem horum cantuum formulae contra grandines, contra morborum genera contraque ambusta fortasse exstarent, nisi Plinius eas prodere ingentis superstitionis esse duxisset.[4])

Denique quid sit *soricina nenia* apud Plautum[5]) (qui, ut hoc addam, neniae vocabulo eo quoque sensu utitur, ut sit finis),[6]) ambigitur. Pars igitur soricinam neniam esse volunt minutissimum intestinum sive hillam, alii vocem emissam a sorice in deprehendendo et confodiendo, alii machinulam capiendis soricibus denticulatim aculeis confixam, quod ibi neniam funebrem cantum sorices captae canant, alii cantiunculam de confosso sorice, qui dum rodit, suo indicio plerumque confoditur. Proinde cantum esse: *sorex suo indicio confossus periit*, aut aliud quiddam simile. Nec hoc sensu lepidiorem neniam soricinam scirem, quam ab Horatio de muribus urbano et rustico fictam fabellam[7]) (nec Phaedrus in fabulis muri partes demandare omittit); sed loco laudato apud Plautum soricinam neniam nihil aliud significare nisi muscipulum foraminibus praeditum (Mausfalle) persuasum mihi habeo. Et haec quidem de neniis.

Tradita iam operis typotheticis disputatione, in manus venit *God. Hermanni epitomes doctrinae metricae editio altera recognita*, quae anno superiore Lipsiae prodiit. Ex qua intellexi, virum doctissimum caput de versu Sa-

---

1) 16, 11.
2) De re rustica cap. 160.
3) De re rust. 1, 2.
4) Plin. h. n. 18. 5. Cf. etiam *Zell* Ferienschriften. II. 116 sqq.
5) Bacch, 4. 8. 46. te faciam — confossiorem soricina nenia.
6) Pseudol. 5. 1. 32. Id fuit nenia ludo.
7) Hor. sat. 2. 6. 79 sqq.

turnio ita retractasse, ut, cum iam antea contra ea, quae in elementis doctrinae metricae exposuerat, non multa dici possent, nunc in epitome temperatius exploratiusque scriptis omnino plaudendum sit. Sed hac de re pluribus dicam in ea scriptione, cuius editionem paraturus sum. Hoc loco id unum memoro, in epitome etiam Scipionum elogia, quae Hermannus in elementis nescio qua de causa omiserat, inter exempla „certissima“ versus Saturnii recenseri. Neque tamen eodem modo ac Niebuhrius et a ceteris viris doctis paullulum discedens versus distinxit, sed ita, ut omnium optime eorum Saturniorum, quos Terentianus Maurus ceterique grammatici descripserunt, indolem ac formam exprimant. Quare operae pretium me esse facturum ratus, si hos versus accurate transtulerim, eorum exempla infra posui.

Elogium igitur Barbati Hermannus in hunc modum scribendum esse censet:

Cornélius Lucius Scípio Barbatus
Gnaevó patre prognatus fórtis vir sapiensque
cuiús forma virtuti párissuma fuit.
consúl censor aedilis quí fuit apud vos.
Taurásiam Cesaunam Samnium*que* cepit
Subígit ómnem Lucanam óbsidesque abducit.

Elogium Scipionis Asinae sic ab eo distinguitur et suppletur:

hunc únum plurimi conséntiunt R*omani*
Romaé bonorum optumúm fuisse virum.
Lucíum Scipionem filium Barbati.
consúl censor aedilis híc fuit a*pud vos.*
hic cépit Corsicam Alériamque urbem.
dedít *dicavit* Tempestátibus aedem merito.

Denique elogium filii Africani, flaminis et auguris, quod ego ab huius metri forma remotissimum iudicavi, secundum praecepta metricorum ita conformavit:

. . . . . qui ápicem insigne
diális flaminis gessísti, mors perfecit
tuá ut essent omnia brévia, honos, fama,
virtúsque gloria atque ingénium, quibus si
in lónga licuisset tíbi utier vita,
facíle superasses glóriam maiorum.
quaré lubens te in gremium, Scípio, recepit
terrá Publi prognatum Públio Corneli.

Quis est, qui nunc obloquatur Hermanno revocanti tam facile ad metrum vulgare versiculos, neglecto quidem accentu naturali, sed minime contorte, paucis tantum supplementis adiectis?

De Barbati insuper elogio verbum addendum est. Scilicet ubi dixi,[1] Niebuhrium in distinguendis versibus e suo ingenio et arbitratu mutasse videri, ut tetrametros inde efficeret Bacchiacos, sentio iam me iusto longius esse provectum. Et omnia quidem mallem quam iniuste facere adversus virum de antiquitate Romana meritissimum. Nec mihi dubium fuit, quin Niebuhrius amplius sexennium Romae moratus, pius sepulcrorum Scipionum cultor,[2] diligentissimus, quoad licuit (et pro dolor! ne tali quidem viro scrinia ex optato patebant), musei Vaticani investigator, optimo iure testaretur, manifestissimam versuum distinctionem exstare.[3] Sed, quoniam Piranesii et Viscontii opera non praesto erant, titulum ex Orellii collectione repetii, apud quem aliter versus disiunguntur. Iam video Eggerum quoque, virum doctissimum, ad quem relegavi, accurate Italos secutum, pro certo affirmare, in Barbati elogio lineolis στίχους ita segregari, ut omnino quinque sint, in hunc modum:

CORNELIVS. LVCIVS. SCIPIO. BARBATVS. GNAIVOD. PATRE. PROGNATVS. FORTIS. VIR. SAPIENSQVE —
QVOIVS. FORMA. VIRTVTEI PARISVMA FVIT —
CONSOL CENSOR. AIDILIS. QVEI. FVIT. APVD. VOS —
TAVRASIA. CISAVNA SAMNIO. CEPIT —
SVBIGIT. OMNE LOVCANA. OPSIDESQVE. ABDOVCIT.

Qua quidem ex re palam fit, versus a primo et ultimo inclusos plane cum Niebuhrii versibus congruere. Et facere non possum quin hic mo-

---

1) P. 14.

2) Cf. epistolae Roma datae in libro: Lebensnachrichten über B. G. Niebuhr II Nro. 317 sqq., in quibus locus valde est memorabilis, qui legitur p. 269: »Ich trachte darnach, das Grab der Scipionen zu kaufen. Das ist charakteristisch für dies neue Rom, dass im Jahr 1780, als dies einzige ehrwürdige Denkmal des Alterthums entdeckt ward, die noch ganz erhaltenen Gerippe des Scipio aus ihren Steinbetten gerissen und weggeworfen wurden!«

3) Iuvat hoc loco ipsius verba repetere ex historiae Romanae editione quarta p. 271. not. 684: „Auf dem Sarg des L. Barbatus sind die Verse durch trennende Striche augenscheinlich bezeichnet: in den Inschriften seines Sohns und des Flamen bilden sie ebenso viele Zeilen, und sind als solche durch ihre sehr verschiedene Länge ebenso sicher zu erkennen, wie in den jüngern die Elegen." Not. 685: „In der dritten habe ich *si* vom Ende des dritten an den Anfang des folgenden, *maiorum* vom Anfang des siebenten an den Schluss des vorhergehenden Verses gebracht. Durchgehends ungenau sind es die Steinmezen am allermeisten in der Abtheilung der Verse."

neam, etiam auguris flaminisque titulum apud Orellium parum accurate expressum esse. Nam non solum v. 6. FACTEIS excidit, sed etiam v. 3 VIRTVTESQVEpro VIRTVSQVE scriptum est, singulaeque litterae additae sunt, quae in ipso monumento deficiunt.

Quod metiendi modum attinet, pro certo nunc habeo, Niebuhrii eam fuisse rationem, ut, liberiore quodam modo, non modo de Bacchiis, sed etiam de aliis pedibus trisyllabis adhibendis cogitaverit. Sed quoniam haec res tribus verbis transigi nequit, eam alii loco reservamus.

Quae disputavi de auctoritate grammaticorum Marii Victorini et Atilii Fortunatiani,[1]) iis plura addi possunt alio loco non omittenda. Nunc de sententia mea pauca tantummodo adiiciam. Marium Victorinum clarissimum Atilio Fortunatiano ignobili potiorem et praestantiorem esse duxi, quia ille de versu Saturnio veriora et simpliciora tradidit; sed nunc comperio, et *Santenium* Atilium a Victorino expilatum censuisse,[2]) et *Car. Lachmannum*, cuius his de rebus acre solet esse et elegans iudicium, priorem saltem Atilianorum commentariorum partem (quae est apud Putschium inde a p. 2671 usque ad p. 2685) insignem et ipsius Terentiani Mauri fontem habere. Qua de re quoniam Gaisfordii et Lachmanni editiones non ad manus sunt, liberum iudicium ad aliud tempus reiiciam. Coniuncta est autem haec quaestio cum illa de aetate et auctoritate Terentiani Mauri, quae adhuc sub iudice est. Et de Atilio quidem Fortunatiano res plane videtur esse incerta. De Mario Victorino nulla est dubitatio, siquidem noster Victorinus, cuius est apud Putschium[3]) *ars grammatica et de orthographia*, in qua arte grammatica sub finem libri secundi *de didascalicis metris* inscripti caput est de versu Saturnio,[4]) si hic Victorinus, inquam, idem est ac ille celeberrimus sub Constantino urbis Romae rhetor, cuius honorificentissime mentionem faciunt sancti Hieronymus et Augustinus.[5]) Sed et alter est Victorinus praenomine *Maximus*, cui Lindemannus libellos tres *de re grammatica, de carmine heroico, de ratione metrorum* tribuit quippe homini haud admodum doctrina grammatica insigni. Quamquam in editione Adami Petri 1527 et in codice Bobiensi Maximi praenomen auctori dumtaxat opusculi de ratione metrorum assig-

---

[1]) P. 28 sqq.

[2]) Ad Terent. Maur. p. 352 sq.

[3]) P. 1450 sqq.

[4]) P. 2586 sq.

[5]) Cf. *Suringar* hist. crit. scholiast. latin. Pars I. p. 153 sqq.

natur, quod apud Putschium [1]) Marii est. Eiusdem Maximi vel Marii libelli de grammatica et metris in codice antiquissimo Bernensi Nro. 336, neglecto a Lindemanno, Scauro cuidam et Palladio adscribuntur, [2]) ita ut non parva de hoc nomine perturbatio in codicibus et editionibus existat. Utut res se habet, equidem nostrum Victorinum, qui de versu Saturnio scripsit, donec certiora edoctus sim, Atilio Fortunatiano et tempore et doctrina antecessisse crediderim. Itaque Fortunatianum ex Victorino, non Victorinum ex Fortunatiano hausisse censeo. Qua de re ut unusquisque iudicium facere possit, utque mea sententia de Fortunatiano Victorinum ad verbum excribente planissima fiat, quae uterque de versu Saturnio praecipit, e regione posita infra adscripsi.

Marius Victorinus.

De Saturnio versu.

Et quoniam sub occasione versus huius se tempestiva etiam nobis alia suggerit species, consentaneum reor hoc loco dicere de natura et origine huius versus, cui prisca apud Latinos aetas, tanquam Italo et indigenae, Saturnio sive Faunio nomen dedit, *sed falluntur; a Graecis enim varie et multiformiter inductus est, nec tantum a comicis, sed etiam a tragicis. Nostri antiqui usi sunt ea (l. eo) non observata lege nec uno genere custodito, sed praeterquam quod durissimos fecerunt, etiam alios longos, alios breviores inseruerunt, quorum est hic:*

Turdis edacibus dolos comparas amice.

Item:

Ferunt pulcras creterras aureasque lepistas.

Et apud Naevium:

Novem Iovis concordes filiae sorores.

Videtur tamen e duorum versuum membris compositus, dimetri et quadrati. Constat autem pedibus sex et semipede. Nam primos tres pedes et semipedem habet ex

Atilius Fortunatianus.

De Saturnio versu.

De Saturnio versu dicendum est, quem nostri existimaverunt proprium esse Italicae regionis, *sed falluntur. A Graecis enim varie et multis modis tractatus est*, *non solum a comicis, sed etiam a tragicis. Nostri autem antiqui (ut vere dicam, quod apparet) usi sunt eo non observata lege*, *nec uno genere custodito inter se versus*, *sed praeterquam quod durissimos fecerunt, etiam alios breviores, alios longiores inseruerunt,* ut vix invenerim apud Naevium, quos pro exemplo ponerem. Apud Euripidem et Callimachum inveni tale genus:

Turdis edacibus dolos comparas amice.

Apud Archilochum tale:

Quem non rationis egentem vicit Archimedes.

Et tertium genus:

Consulto producit eum quo sit impudentior.

Apud nostros autem in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, victoriaeque suae titulum Saturniis versibus prosequebantur, talia reperi exempla; ex Regilli tabula:

---

[1]) P. 1938.

[2]) Codex singularem hanc exhibet inscriptionem: *Incipit Audacis de Scauri et Palladii libris excerpta per interrogationem et responsionem.* Cf. Sinneri catalog. I. 621 sqq.

parte prima dimetri, reliquos vero tres pedes, qui sunt ultimi, habet a parte prima quadrati tragici trochaici, ut:

Cum victor Lemno classem Doricam appulisset.

Est autem duabus primis syllabis longior ab hendecasyllabo, nam uno pede in capite hendecasyllabi posito, Saturnius versus fiet: cuius exemplum *Metelli proproposuerunt de Naevio aliquotiens ab eo lacessiti*, ita:

Malum dabunt Metelli Naevio poetae.

Nam *malum dabunt Metelli* clauda pars dimetri iambici est, dehinc *Naevio poetae* tribus Trochaeis constat, quod † *Phalaecium* vocamus; nec quicquam oberit Trochaeo, quod semper in metris indifferenter, sicut superius diximus, ponitur, tres Iambos cum syllaba et tres Trochaeos. Ergo erit prima pars (id est: *malum dabunt Metelli*) talis, qualis est: Adest celer Phaselus, item: Memphitides puellae; sequens *(Naevio poetae)* talis est, ut est: Bacche plaude Bacche. † Sane ut in decasyllabo primus pes incertus est, ita ut in hoc duo primi pedes variantur:

Iam nunc vocet Camoenas quis novem sorores,

qui ut terminus a Spondeo incipit.[1]) Quidam volunt hunc feriri sexies et recipere pedes septem, hoc est, Spondeum, Iambum, Pyrrhichium, Pariambum, Dactylum, Trochaeum, Anapaestum, e quibus est Thacomestus, et nasci a trimetro scazonte; alii vero omnes duodecim pedes admittere, neque semper eum, ut illi asserunt, nasci e trimetro scazonte. Unde apud omnes grammaticos super hoc adhuc non parva lis est.

[1]) Locum hunc corruptum et sensu carentem *Santenius* ad Terent. Maur. v. 2514 p. 355 probabili coniectura ita sanavit: „Sane ut in hendecasyllabo primus pes incertus est, ita et in hoc duo primi pedes variantur:

Iam nunc vocet Camenas quis novem sorores.

qui Saturnius spondeo incipit."

Duello magno dirimendo, regibus subigendis.

qui est subsimilis ei, quem paulo ante posui:

Consulto producit eum quo sit impudentior.

In Acilii Glabrionis tabula:

Fundit fugat posternit maximas legionis.

Apud poetam Naevium hos repperi doneos:

Ferunt pulchras pateras aureas lepidas.

Et alio loco:

Novem Iovis concordes filiae sorores.

Sed ex omnibus istis, qui sunt asperrimi et ad demonstrandum minime accommodati, optimus est, quem *Metelli proposuerunt de Naevio aliquoties ab eo versu lacessiti:*

Malum dabunt Metelli Naevio poetae.

Hic enim Saturnius constat ex Hipponactei quadrati iambici posteriore commate et † *Phalaecio metro.*[1]) Hipponactei quadrati exemplum:

Quid immerentibus noces? Quid invides amicis?

Nam *Malum dabunt Metelli* simile est illi: *Quid invides amicis?* Cui detracta syllaba prima facit Phalaecion metrum: *Invides amicis*, ex quibus compositus est hic Saturnius, ut sit par huic:

Quid invides amicis? Invides amicis.

Hoc modo:

Malum dabunt Metelli Naevio poetae.

[1]) Hoc loco, quemadmodum apud Victorinum pro Phalaecio *Phallico* scribendum esse, errore scripturae, qui in codicibus sexcenties occurrit, iam *Santenius* ad Ter. Maur. v. 2555 p. 359 adnotavit, quod etiam *God. Hermannus* elem. doctr. metr. p. 610 sq. restituit.

Atilius Fortunatianus.

De Saturnio.

P. 2698. Saturnio metro primum in Italia usi; dictum autem a Saturnia urbe vestutissima Italiae. Hic versus obscurus quibusdam videtur, quia passim et sine cura eo homines utebantur, maxime tamen triumphaturi in Capitolio tabulas huiusmodi versibus incidebant, id est sic:

Summas opes qui regum regias refregit.

Habet autem prima parte iambicon dimetron catalecticon, in secunda trochaicon dimetron brachycatalecticon, quod et Ithyphallicum diximus, ut:

Dabunt malum Metelli Naevio poetae.

Cetera (sc. metra) partim in Horatio recognosces, partim in archetypis auctorum libris, unde haec excerpsimus.

Terentianus Maurus.

De Saturnio carmine.

Aptum videtur esse
Nunc hoc loco monere,
Quae sit figura versus,
Quem credidit vetustas
Tanquam Italis repertum
Saturnium vocandum.
Sed est origo Graeca
Illique metron istud
Certo modo dederunt;
Nostrique mox poetae
Rudem sonum secuti,
Ut quaeque res ferebat,
Sic disparis figurae
Versus vagos locabant.
Post rectius probatum est,
Ut tale colon esset
Iunctum tribus trochaeis,
Ut si vocet Camenas quis novem sorores
Et Naevio poetae sic ferunt Metellos,
Cum saepe laederentur, esse comminatos:
Dabunt malum Metelli Naevio poetae.
Dabunt malum Metelli clauda pars dimetri;
Dabunt malum Metelli,
Adest celer Phaselus,
Memphitides puellae,
Tinctus colore noctis.
Post *Naevio poetae* tres vides trochaeos;
Nam nil obest trochaeo, longa quod suprema est.

ARGUMENTUM.

